



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalis Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean


Antverpiæ, 1622


[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)





M. 2850.

f. III  
15.














ADMODVM REVERENDO  
IN CHRISTO PATRI  
PATRI NOSTRO  
MVTIO VITELLESKO,  
SOCIETATIS IESV  
PRÆPOSITO GENERALI.



Nnus alter agitur,  
ex quo, R<sup>de</sup> Admo-  
dum in Christo  
Pater, hi libelli tuis auspicijs  
ac tuo imperio prodire ge-  
stiunt in lucem. Nunc tan-  
dem ad te veniunt Partheniæ  
Sodalitatis nomine depreca-  
tores & interpellatores, vti  
confido non molesti: qui,  
quod obliuisci non potes, ta-  
men

men admoneant, ac rogent,  
vti porro pergas in partem  
curarum tuarum habere So-  
dalitatis eius administratio-  
nem, cuius es Aposto-  
lico diplomate director ac  
moderator. Appendix est So-  
dalitas Deiparæ Societatis Ie-  
su, cohærens ei velut matri  
filia: quam vtramque totiam  
annos prudentissimè, ac Deo  
propitio felicissimè guber-  
nas. ei vt porro facias impen-  
siùs supplicant hi libelli. Ver-  
satur in manibus atque ocu-  
lis quotidie nobis epistola  
tua, qua primo susceptæ gu-  
bernationis anno Patres ad  
summam Religiosæ perfecti-  
onis

onis absolutionem adhorta-  
ris, vt recenti, inquis, animo-  
rum ardore, amoreq; in Ordi-  
nem nostrum intimo ac ve-  
rissimo cum Bernardo cla-  
memus moribus magis  
quàm vocibus, *Domine dilexi* psal. 25.  
*decorem domus tuæ*; magnani-  
moq; consilio, quod in se est  
vnusquisque det operam, vt  
castissimis eiusdem oculis  
non habentem quoad licet  
maculam neque rugam mi-  
nima hæc se Societas exhibe-  
re queat. Exerat hic idem sese  
zelus T.P. ardentissimus ad-  
uersus Deiparæ Sodalitatem  
tuæ quoque charitati ac pru-  
dentia concreditam, vti om-

† 3

nes

nes abs te incitati Sodales ad  
Dominam suam re & corde  
magis quàm sermone cla-  
ment, Domina dilexi deco-  
rem domus tuæ, & locum ha-  
bitationis gloriæ tuæ; eiuf-  
demq; purissimis oculis exhi-  
bere se queat Sodalitas ad i-  
mitationem Patronæ mori-  
bus præclarè composita, pie-  
tate omni ac virtute pulchra,  
ac decora tamquã Ierusalem.

B.M. tuus antecessor R.P.  
Claudius Aquaviua cum se  
magno perfunctum disci-  
mine Archiepiscopatus Nea-  
politani, quem illi Clemens  
VIII Pontifex summa volun-  
tate deferebat, apud alumnos  
Col-

Collegij Romani, quostum  
inter esse me contigit, gratula-  
retur, omniumq; precibus si-  
bi novos animos ad Præposi-  
ti Generalis munus dari cæli-  
tus exoptaret, illud accom-  
modatis valdè similitudini-  
bus explicabat; summi ducis  
atque imperatoris exercitus,  
qui sæpè sit in aciem ac pu-  
gnam educendus; nauarchi,  
cui sit ingens oneraria in cur-  
su ac tempestate regenda;  
Præfecti morum ac pædago-  
gi, quem Rex liberis suis at-  
tribuit; magistri scripture, qui  
complurium mercatorum  
societati præsit, ab eisque dati  
& accepti rationes exigat.

† 4

Quæ

Quæ similitudines non ad  
primariam modò Præfectu-  
ram tuam Societatis Iesu per-  
tinent, verùm & ad hanc alte-  
ram secundariam Sodalitatis  
Partheniæ, qua vtraque R.P.  
T. benignissimus Iesus & D.  
Mater honestavit atque one-  
ravit. Non enim diffiteor ho-  
nori adiunctum onus, sed  
quod animo generoso feras,  
cuiusq; mercedem amplissi-  
mam fidei ac iustitiæ coro-  
nam, ac beatæ æternitatis o-  
pulentiam ab hoc vtroque  
tuæ salutis optimo parente  
cumulatissimè reportabis.  
Quamobrem hæc omnia  
perge aduersus Sodalitatem  
Par-

Partheniam officia, atque im-  
primis patris amantissimi at-  
que optimi munus adimple-  
re. Quod præclarissimus Or-  
dinis S. Dominici Generalis  
Magister, mox S. R. E. Cardi-  
nalis Amplissimus Xauier  
Confraternitati indulgit Ro-  
sarij, vt omnium eius Ordi-  
nis meritorum particeps ex-  
isteret; eandem Societatis no-  
stræ meritorum communio-  
nem ad Partheniam Sodali-  
tatem quadamtenus deriua-  
re ne graueris, alijsq; vijs ac  
rationibus, quas tibi pruden-  
tissima tua suggeret charitas,  
D. Matris pro tuo in eam a-  
more, cultum atque obse-  
quium

† 5

quium

quum promouere ne inter-  
mittas. Nos hîc Belgici Soda-  
les Optimam Matrem quo-  
tidianis votis ac precibus R.  
P.T. conciliare nitentur, vt ad  
Ecclesiæ bonum Deiq; glo-  
riam suo semper eam præsi-  
dio communiat atque con-  
foueat, ac tandem exacto vi-  
tæ curriculo quàm plurimis  
auctam meritis in cæleste fi-  
lij sui regnum inducat omni-  
simul æternitate regnatu-  
ram. Quod ex intimis præ-  
cordijs opto ac voueo, Mal-  
bodij, Kalendis Martij, 1622.

R. P. T.

*filius ac seruus in Christo  
Ioannes Bourghesius.*

FACULTAS P. PROVINCIALIS.

**E**Go infra scriptus Prouinciæ Gallobelgicæ Soc. IESV Prouincialis, potestate ad hoc mihi facta à Reu. Admodum P. N. Generali, facultatem concedo, vt liber *De bono Sodalitatis Parthenia, & officiis Sodalitatis erga Deiparam Patronam*, à P. Ioanne Bourghesio conscriptus, eiusdemque Societatis Patrum iudicio approbatus, typis mandetur. Montibus 11. Februarij, anno 1622.

*Florentius de Montmorency.*

---

A P P R O B A T I O.

*Hic libellus de bono Sodalitatis Parthenia multum promouebit studiosam iuuentutem, ac deuotos reddet Sodales erga Deiparam Virginem, vt piè suum officium Sodalitatis exerceant. Quod scripsi 21. Martij, an. 1622.*

Egbertus Spitholdius Plebanus Antuerpiensis.

SVMMA PRIVILEGII.

**P**HILIPPVS Dei gratia Hispaniarum,  
&c. Rex Catholicus, Archidux Austria,  
Dux Burgundia, Brabantia, &c. Serenissimus  
Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne  
quis librum De bono Sodalitatis Parthe-  
niae, & Officiis Sodalis erga Deiparam  
Patronam, auctore R.P. Ioanne Bour-  
ghesio Societatis Iesu, praeter Martini Nu-  
tij Typographi Antuerpiensis voluntatem in-  
tra sexennium in Belgio excudat, aut alibi  
locorum excusum in has Inferioris Germaniae  
ditiones importet, venalemue exponat. Qui  
secus faxit, confiscatione librorum, & alia  
gravi poena mulctabitur, vti latius patet in  
litteris datis Bruxella, 23. Martij, anno 1622.

Signat

Steenhuysc.

# SYLLABVS CAPITVM.

## L I B E R I.

- C** Ap. I. De origine & institutione Sodalitatis. fol. 1
2. Quem finem sibi praestitutum habeat Sodalitas. 8
3. Sodalitas est in Sanctissimae Matris clientela. 14
4. Deiparam verè esse ac propriè Dominam nostram ac Reginam. 20
5. Ad Christum mediatorem Deipara mediator adhibenda. 30
6. Sodalitas genus est adoptionis spiritalis, qua in Dei Matris filios cooptamur. 45
7. Gymnasium est omnis Christiana virtutis & perfectionis. 58
8. Arx est & ciuitas Deipara aduersus hostium insultus munitissima. 67
9. Paradisus est & hortus deliciarum caelestis sponsi, & sponsae. 77
10. Dei templum, & sacrarium Virginis Dei Matris honori consecratum. 88
11. De vtilitate legum Sodalitatis, quibus eius administratio continetur. 96
12. De Patris directoris ope spiritali minimè negli-

	<i>negligenda.</i>	104
13.	<i>De obedientia Praefecto Sodalitatis &amp; eius administris deferenda.</i>	112
14.	<i>De utilitate confessionis generalis, qua Sodalitati in eunda premittitur.</i>	120
15.	<i>De frequentando Pœnitentia Sacramento.</i>	128
16.	<i>De Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento.</i>	137
17.	<i>De diebus festis Christi Domini, &amp; SS. Matris eximio cultu celebrandis.</i>	152
18.	<i>De Sabbato Virginis honori consecrato, deq; eius diei ieiunio.</i>	164
19.	<i>De publicis Sodalitatis cœtibus atque con- uentibus.</i>	173
20.	<i>De menstrua suffragiorum sortitione.</i>	181
21.	<i>De priuatis congressibus, &amp; spiritualibus colloquijs.</i>	187
22.	<i>De mutuis exemplis.</i>	194
23.	<i>De communiõne bonorum operum.</i>	201
24.	<i>De profectu in studijs litterarum.</i>	210
25.	<i>De certo genere vitæ ac statu deligendo.</i>	217
26.	<i>Sodalitas, &amp; cultus Deiparæ indicium est diuinæ predestinationis.</i>	227
27.	<i>De bona &amp; secura morte Sodalium.</i>	238
28.	<i>De pœnis Purgatorij mitigatis, &amp; precibus pro defunctis.</i>	246
	29. De	

29. De Indulgentijs ab Apostolica Sede concessis. 254

L I B E R II.

- Cap. I. Officia omnia reuocari ad venerationem & imitationem. 263
2. Quenam Deiparae Virgini deferenda sit adoratio. 269
3. Quibus de causis adoranda sit Virgo Dei mater hyperdulia. 275
4. De triplici tempore ad Deiparae Virginis adorationem opportuno. 283
5. De Rosario seu psalterio Deiparae 150. Salutationum Angelicarum. 290
6. De affectibus pijs, in recitatione Rosarij concitandis. 300
7. De actibus fidei, spei, caritatis, alijsq; internis in recitatione Rosarij vsurpandis. 310
8. De Corona, & corolla Deiparae. 317
9. De Officio Beatissima Virginis. 323
10. De quotidiano Missae sacrificio. 334
11. De vespertino examine conscientiae. 345
12. De deuotione seu oblatione sui met Deiparae praestanda. 353
13. De annua deuotionis huius, seu oblationis innouatione. 359
14. De imitatione virtutum Deiparae. 365
15. De

15. De Theologicarum virtutum imitatione.  
373
16. De exercitatione moralium virtutum in-  
fusarum. 383
17. De eximia laude castitatis & virginita-  
tis. 391
18. De altero sexu vitando, ac honorando. 400
19. De humilitatis studio. 408.
20. De ardenti Christi Domini, ac Beatae Ma-  
tris amore, eiusq<sup>3</sup> cultus promouendi zelo.  
420
21. De operibus misericordiae spiritalis ac cor-  
poralis exercendis. 428
22. De flagitando per Beatam Virginem dono  
perseuerantiae. 435

I  
LIBER I.  
DE BONO  
SODALITATIS  
PARTHENIÆ.

CAPVT I.

*De origine & institutione Sodalitatis  
Parthenia.*

**B**EATVS Dominicus Or-  
dinis Religiosi Prædica-  
torum institutor, cū ad-  
uersus Albigenses hæreti-  
cos Orthodoxam fidem  
in Gallia tueretur, ipsa Virgine Dei ma-  
tre commonente Rosarij eius Confra-  
ternitatem instituit, quæ hodieque flo-  
ret omni laude & celebritate pietatis,  
suauissimumque cælestium rosarum la-  
tissimè spargit odorem. Ab ea Confra-  
ternitate Sodalitatem Partheniam ori-  
ginem

A

ginem

ginem duxisse diffidendum non est, & verò maximè gloriandum, tam illustri genere satam, tamque florenti parente progenitam esse filiam, ad cuius plenam maturitatem ipsa aspiret adolescens, cuius mores & sanctitatem, imitatione proxima confectetur. Neq; verò, quem admodum in humanis plerumque euenit, vt filia matrem loco moueat, elegantiaque ac venustate formæ superet, vt de dignitate atq; amplitudine certent; ita contingit in diuinis: hæc enim non angustis adeò cancellis includuntur, nec vnus laus ac gloria luminibus alterius officit, cum sua cuique species, ac forma dignitasque constet nihil per alteram imminuta.

Fuit, me adolescente, cum qui in Gymnasiis Societatis Iesu specialem Virginis Dei Matris cultum professi essemus, in Rosarij Confraternitatem apud Patres Dominicanos nomina referre iubemur: verum ex quo Gregorius Decimus tertius Pontifex maximus diplomate dato Nonis Decembr. 1584. primariã Congregationem Virginis Annũciatæ in Romano

mano

mano Collegio erexit, amplissimisque Indulgentijs exornauit, id deinceps minime necesse fuit. Nam Summus Pontifex Præposito Generali Societatis Iesu, à quo eam Congregationem dirigi voluit, potestatem fecit quasuis alias Congregationes in nostris extra urbem Collegijs institutas, huic primariæ Romanæ aggregandi, amplissimasque illis Indulgentias communicandi. Quamobrem prima Partheniæ Sodalitatis institutio ad Apostolicæ Sedis auctoritatem reuocanda videtur: quæ de eius eximijs laudibus ac prærogatiuis haberi debet vna præstantissima. Ac mihi quidem attentius ad hanc Sodalitatis originem intendenti, videri solet haud absimilis origini Societatis Iesu, & velut arbuscula quædam minor ex eadem radice progerminasse, simulque adoleuisse, illi velut ætate priori ac maiori cohærens & implicita, è tenuibusque principijs in summam amplitudinem excreuisse, in omnibus iam Collegijs toto terrarum orbe propagata. Vtraque hæc Ecclesiæ Romanæ matris optimæ perquam obsequens

4 DE BONO SODAL. PARTH.  
filia, & Societas Iesu, & Sodalitas Parthenia, gloriari posse videtur, se præclaras illas notas quibus ab omni profana Sathanæ synagoga discriminatur Ecclesia, eius auspicijs, ac beneficijs modo quodam suo ac iure obtinere, quòd Vna sit, Sancta, Catholica, & Apostolica. Quæ eadem eius Deo probatæ institutionis, meritoque ab Apostolica Sede confirmatæ certissimæ debent esse notæ. Quòd vna sit Sodalitas eodem vno sub capite ac principe, non modò Pontifice Romano, omnium fidelium communi parente ac Pastore; verùm Præposito Generali summo perpetuoque directore, penes quem omnis eam administrandi est potestas, qui cæteras omnes primarię aggreget, eisdem legibus stabiliat, privilegijs ornet, Indulgentijs locupletet, ex eo Gregorij Decimi tertij, quod in omnium est manibus diplomate perspicuum euadit. Quòd Sancta sit, ad vitæ sanctitatem parandam tuendamque instituta, sanctissimorum vsu Sacramentorum aucta accorrobodata, sanctissimis exercita pietatis operibus, sanctissimis  
cir-

## LIBER I. CAPVT I. 5

circumsepta Regulis ac legibus, præceptis denique, monitis, atque exemplis referta sanctissimis, non alio sibi præstito fine ac scopo, quàm eximiæ sanctitatis; quodque in ea perquam multi clauerint hactenus, clareantque etiamnum illustri laude sanctitatis, nemini obscurum esse potest, qui eius aliquem usum & consuetudinem habuerit. Catholicam esse toto terrarum orbe diffusam qua sol oritur atque occidit, ad Austrum & Aquilonem, testantur domicilia Societatis Iesu, quibus annata velut adhæret. Quod sanè magnum est Dei beneficium, magnum Sodalium præsidium atque solatium, tot tamque diffitis locis ac prouincijs Deiparæ vigere cultum, tot tamque præstantibus indole, lingua, moribus, conditione valdè disparibus, sed diuina charitate atque in Virginem pietate coniunctissimis Sodalibus aggregari, eisque orationum ac meritorum communionem consociari, vt spiritali quodam sensu Deiparæ Davidis illi versus accommodari possint: *Particeps ego sum omnium timentium te,*

*Psal. 118  
63.*

A 3 casto

*Pfal. 118.*  
64.

casto & filiorum timore : & custodien-  
tium mandata tua, tuæ Sodalitatis insti-  
tuta. *Misericordia tua* (quæ est hæc ipsa So-  
dalitas) *plena est terra : iustificationes tuas*  
(leges Sodalitatis) *edoce me*. Apostolicam  
esse demonstraui, quòd Apostolica sit  
auctoritate primùm erecta & confirma-  
ta, compluribus Apostolicæ Sedis Pon-  
tificibus vehementer probata. Nā quam  
Præposito Generali facultatem alias  
Congregationes ex scholaribus aggre-  
gandi primariæ Gregorius Decimus ter-  
tius Pōtifex dedit, eandem Sixtus Quin-  
tus extendit ad alias quæ constent alijs  
personis, quàm litterarum studiosis, &  
in domibus Societatis eriguntur : Cle-  
mens denique Octauus ad eas quæ in  
Residentijs constituuntur. Nos studio-  
sis potissimùm adolescentibus hunc la-  
borem impensum esse cupimus. Quòd si  
quis Ecclesiasticæ antiquitatis curiosus,  
vestigia omnia rimari voluerit, forsan  
è primis Apostolorum temporibus, ac  
rebus gestis, vt Ordinum Religiosorum,  
ita sacrarum quoque Sodalitatum exor-  
dia possit eruere, cùm esset Hierosoly-  
mis

*Baronius*  
*ad annum*  
*Christi 57.*

mis fidelium in communi viuētium, cor  
vnum, & anima vna. Sed hæc alteri dis-  
putationi seruentur. Illud velim per-  
quam sæpè Sodalibus in mentem veni-  
re, quod ait quodam loco sanctus Augu-  
stinus: Cùm Deus locum parat, & nos  
loco parat. Iam tum à prima Sodalitatis  
origine, cùm eius ab Apostolica Sede  
iacta sunt fundamenta, singulis nobis il-  
lam à Deo benignè prouisam ac decre-  
tam fuisse, ipsa credo Virgine Matre pro  
nobis à se delectis supplicante, vt Soda-  
litis præsijs, tum Dei & ipsius ampli-  
ficandæ gloriæ, tum nostræ saluti ac perfe-  
ctioni procurandæ impensiore cura va-  
caremus. Iam tum à Christo Domino ac  
Beata Matre ad eam Sodalitatem tenen-  
dam delecti fuimus. Cui nos diuinæ pro-  
uidentia ac beneficentiæ gratos esse  
conuenit, neque dies ille nobis debet  
excidere vnquam ex memoria, quo pri-  
mùm in Sodalitatem adscripti sumus;  
sed animo planè gratissimo ac lætissi-  
mo, vti sanctioris vitæ dies quidam na-  
talis, exigendus est, totusque ac solidus  
Diuæ Matris obsequio consecrandus.

## CAPVT II.

*Quem finem sibi præstitutum habeat  
Sodalitas.*

**L**Egetertia Congregationis huius, finis, virtus pietasque Christiana, & in litterarum studijs progressio constituitur: qua de re posterius agam de litterarum studijs cum pietate ac virtute iungendis. Nunc autem non alium finem Sodalitatis esse dixerim quam diuini Numinis ampliorē gloriam, & Sanctissimæ Dei Matris eximium quemdam cultum, cui cohæret ardens suæ proximiq; salutis ac perfectionis studium. Ex qua summa finis præstantia, summa quoque Sodalitatis dignitas elucet. Nam cum plurimæ societates varijs ex causis & finibus coiri soleant, vt institorum, ad negotiandum quæstus augendi causa; militum, ad præliandum bona spe victoriæ, prædæ & triumphis; peregrinantium, ad iter tutius, expeditius ac iucundius conficiendum: & ne omnes recenseam, ipsa quoque coniugij societas maximè firma

ma

## LIBER I. CAPVT II.

ma & diuturna, ad mutuam opem, & liberorum procreationem ( nisi spectes qua est nouæ legis Sacramentum, tum enim est sacra & diuina ) verùm vt est naturalis ciuilisque sodalitas, cæteræque omnes serpunt humi ad exiguum breuissimi temporis fructum, non se altius erigunt, nec diuinum quidpiam spectant vt Ordines Religiosi, & quæ ad eos proximo accedit gradu Sodalitas Parthenia. Qui eundem esse nostræ Societatis Iesu, Sodalitatisque Partheniæ finem esse cõtenderit, me quidem iudice, non aberrarit. nam tametsi Societas suis arctioribus illigata votis, & seuerioris disciplinæ stabilita sit legibus, tamen vnum eundem vtraque finem sibi propositum habet, quem propè paribus consequi, eo quo dixi discrimine ( quòd illi necessitas imposita est votorũ, huic inest libertas ) institutæ vitæ rationibus haud segniter elaborat. Appendix est quædam Societatis Iesu Sodalitas Parthenia, quæ suos alumnos ad omnem instruat informetque virtutem, quæ sit homine Christiano digna, vel quæ ad actiuæ vitæ Mar-

thæque negotium, vel ad Mariæ sororis ac sanctæ contemplationis otium referatur. Neque enim omnes suæ salutis ac perfectionis studiosos, Religiosum vitæ stadium ingredi necesse est, neque expedit; neque multis adhuc per ætatem licet, neque postea per valetudinem, aliasque causas licebit. quare liberam hæc inferioremque veluti scholam optima magistra Virgo Mater aperuisse censenda est, in qua suæ perfectionis cupidos vniuersim ad eam quæ suo statui congruit erudiret. Nemo præterea est qui non singularibus à Deo beneficijs, naturæ & gratiæ, communiter ac priuatim per Virginem Matrem cumulatum se esse sentiat, illique secundum filium Saluatorem non se suaque omnia accepta referat. Quare nisi planè est ingrattissimus, cum hæc se offerat in sæculo eius colendæ atque obseruandæ ratio, quæ Partheniæ Sodalitatis instituto continetur, si fortè alienus est à seueriori Religiosa disciplina, non hanc certè mitiorem Dei paræ seruitutem amplectatur. Non diffiteor hæc eadem officia seorsim à singulis

lis

lis exhiberi posse, suam cuique constare posse sigillatim rationem colendæ Deiparæ, propriæque & alienæ procurandæ, cum Dei gratia, salutis: sed neque diffitebitur quispiam hæceadē pluribus aggregatis, atque eodem connitētibus pleniora esse, expeditiora, tutiora; pleniora inquam cum dignitatis, tum spiritualis iucunditatis & utilitatis. Nam

*frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Melius est duos esse simul, quàm vnum; habent enim emolumentum societatis suæ: Vt*

*Prou. 13.*

*91.*

*Eccles. 4.*

*10. 11. 12.*

*soli, quia cum ceciderit non habet subleuantem se. Valdè tamen ad lapsum procliuis est sæculi huius via, tenebricosa, lubrica, in qua & malus à tergo dæmon incautos vrget ad præcipitium. Illam enim viam*

*ambulamus de qua Regius Vates: Fiat via*

*psal. 34. 6.*

*illorum tenebra, & lubricum, & angelus Domini persequens eos. Et, Si dormierint duo, fo-*

*Eccles. 4.*

*11. 12.*

*nebuntur mutuo, vnus què calefiet? Vt cõgestæ prunæ simul & accenduntur facilius, & ardorè diutiùs retinent quàm dispersæ: sic cum ille nobis minimè sit natiuus, sed è cælo dilapsus in Christum Deum, Deiparamque diuinus ardor, seiuncti*

Eccl. 4.  
12.

difficilius eo corripiemur, cōiuncti facilius, eumque mutuis precibus, monitis, exemplis tutari, & in dies augere nō erit operosum. *Et si quispiam prauauerit aduersus vnum, duo resistunt ei; funiculus triplex difficile rumpitur: quanto magis si non duo tresue, sed quā plurimi pręstantes virtute Sodales, firmissimam aciem sub Diuę Matris auspicijs instruxerint, non pręualebit aduersus eos malignus hostis? Sodalitas hęc omnino militantiū est, cūm tota hęc vita, Iob teste, sit militia, & tentatio; sed adhuc tironū, primis adhuc in militia sacre rudimentis versantium, ductu & auspicio Beatissimę Matris, eius ope semper inuicta ac triūphans: nisi semetipsi turpi fuga dedant hosti, & castra Parthenia deserant.*

Sodalitas est spiritualium mercatorum, animarum lucra, virtutumque compendia, maxima cupiditate, summis studijs, laboribus indefessis consecretantium, margaritas illas gratiarum atque animarum Euangelicas, Christi Domini emptas pretioso cruore comparantium.

Sodalitas est peregrinantium ad cęlestem

stem patriam Hierosolymam, maximis desideriorum ac rectè factorum itineribus contendentium, intereaque hîc etiam ad sacra Palestinæ loca Christi Domini, ac Beatissimæ Matris impressa ac nobilitata vestigijs frequenti meditatione commeantium: quos inter quis annumerari nolit ad huius ærumnosæ vitæ viam suauiter & expeditè decurrendam?

Hac deniq; in Sodalitate veluti gynæceo suo nobilissimo, clementissima Domina nostras animas (quando ille sponsas habere non dedignatur) ad filij sui cælestis diuiniq; Assueri Regis nostri *Esther 2.* conspectum ac complexum apparat, *12.* omni suppeditato largiter cultu & ornatu virtutum, myrrhinoque illo mortificationis oleo, & varijs orationum pigmentis atque aromatibus virtutum. Nam & ipsa æmulatur nos Dei æmulatione: *2. Cor. 11. 2.* despondit & ipsa nos vni viro, virginem castam exhibere Christo filio, ad eiusque aliquândo thalamum obita morte perducet, ac tum datæ à nobis illi fidei, summa integritate custoditæ testimonium feret, mercedemque reposcet.

ô fortunatam igitur Sodalitatem Partheniam! ô faustam & expetendam Sanctissimæ Dei Genitricis clientelam! quæ cum omnis virtutis ac perfectionis breui consequendæ compendiosam viam, tum sempiternæ felicitatis ineundæ, magnisq; meritorum cumulibus augendæ rationem expeditam, iucundam, facilem, certam securamque exhibet, in qua & dignitas cum vtilitate, & par vtrique decernat Deiparæ cultus, & obsequij iucunditas.

## CAPVT III.

*Sodalitas in Sanctissima Dei Matris est clientela.*

**V**eruserat apud Romanos consuetudo, quæ nōdum exoleuit, vt fortunæ tenuioris homines, aut qui in iudicium vocati essent rei, patronum sibi deligerent potentem atque eloquentem, cuius ope ac tutela niterentur, à quo protegerentur in fortunaarum ac capitis periculo, in aduersis subleuarentur, in prosperis ornarentur. Huic sese  
de-

deuouebant clientes, manè salutatum  
ueniebant frequentissimi, in forum de-  
ducebant, reducebant domum officij  
atque honoris causa, atque omni genere  
obsequiorum beneuolos eorum animos  
sibi conciliabāt. Ad eum morem Sodalis  
Parthenius cū se diuinæ gratiæ virtu-  
tumque copijs valdè sentiret egentem,  
neque de capite modò, ac fortunis om-  
nibus, sed de sempiterna salute iudicium  
sibi subeundum animaduertit; apud  
incorruptum seuerumque Iudicem  
Deum suum, huius Iudicis Matrem cle-  
mentissimam sibi Patronam Aduoca-  
tamque adsciuit, non tam humano con-  
silio, quam diuino quodam inuento ac  
monitu, ipsa suggerente misericordiæ  
matre, suumque vltro patrocinium de-  
ferente. Hanc inquam totius vitæ præsi-  
dem, sed in illo potissimum extremo dis-  
crimine certissimam adiutricem dele-  
git, quam omni pietate coleret, obser-  
uantia demereretur, animique memoris  
ac grati significatione prosequeretur. I-  
psa verò clienti suo nusquam deesset,  
sed omni cum cura protegeret, operaq;

iuuaret, ac materna beneuolentia com-  
 plecteretur. Hæc sunt initæ Sodalitatis  
 ac clientelæ pacta conuenta; hæc in ipso  
 limine, primoque aditu lex indicitur,  
 cum quisque Sodalis solemnî ritu ceteris  
 aggregatur, oratione illa Sodalitatis, quæ  
 aditum patefacit, & ianua est ad Sodali-  
 tatē, ac quædam eius inauguratio & con-  
 secratio: Sancta Maria, Mater Dei & Vir-  
 go, ego te hodie in Dominam, Patro-  
 nam & Aduocatam eligo, firmiterque  
 statuo ac propono me numquam te de-  
 relicturum, neque contra te aliquid vn-  
 quam dicturum aut facturum, neque  
 permissurum, ut à meis subditis aliquid  
 contratum honorem agatur. Quæ ne-  
 gatiua, sic loquar, officia cultus ac pieta-  
 tis in Virginem Matrem, quæ præcepti  
 sint, & ad omnes pertineant qui modò  
 Christiano nomine censentur, potius  
 quàm affirmatiua quædam certa, quæ  
 sint supererogationis ac consilij, Soda-  
 lium propria, Sodalitatis sancita legi-  
 bus, si quis expressa miretur; id sciat ex  
 temporum iniquitate profectum, cum  
 ab Orco nuper hæreses suscitatae nulli rei  
 fa-

sacræ ac diuinę parentes, ipsam quoque Dei matrem intemeratam impetere ac violare sunt ausæ, omnem ab ea cultum atque honorem sacrum abiudicantes. Quibus se pius Sodalis acrem aduersarium fore profiteretur, neque passurum, vt aut ipse, aut sui vlla vnquam earum hæresum afflentur aura pestifera. Quin verò contrà omni genere officiorum atque obsequiorum, vt par est, Dei Matris gratiam & benevolentiam aucupaturus sit animo propensissimo, nequit ambigi, cùm supplex precetur: Ipsa eum suscipiat in seruum perpetuum (quo serui perpetui vocabulo omnia genera officiorum atq; obsequiorum comprehensa latent.) adsit in omnibus actionibus, nec deserat in hora mortis; hora illa maximè reformidanda, cùm erunt vniuersæ vitæ rationes apud Iudicē Deum eius filium exactissimè referendæ. Non deerit omnino tum clementissima Patrona, neque vllis vnquam à suo cliente se parietur officijs superari, quin ea cumulationibus longè compenset beneficijs. Quo quis in illam fuerit obseruantia maiore, eo quoque

que liberaliorem ac munificentiorem  
 in se Dominam suam experietur. Est qui-  
 dem Iudex æquissimus & incorruptus,  
 aduersarius infensissimus Satan, accusa-  
 tor & calumniator fratrum, causa no-  
 stra vehementer anceps ac dubia, propè  
 perdita ac desperata, tamen euincet hæc  
 Patrona & Aduocata, qua valet apud fi-  
 lium gratia & auctoritate. Neque verò  
 quemadmodum apud alios iudices agi  
 solet, crimen obiectum inficiabitur, aut  
 in accusatore coarguendo, testibusque  
 reuincendis laborabit; sed, quemadmo-  
 dum apud parètem agi solet, veniam de-  
 precabitur, si modò nos admissi delicti  
 verè pœniteat. Ignosce, inquit, fili, cli-  
 enti meo, ad tuam misericordiam con-  
 fugienti: Temere fecit, lapsus est, sed iam  
 seridò pœnitet. Qui multis à me exoratus  
 indulxisti, huic quoque meo Sodali nūc  
 indulge: deprecationis meæ quam in-  
 terponit, meritorumque tuorum quæ  
 per me allegat, rationem habe: sine te à  
 me exorari, cui nihil hæctenus in mortā-  
 lium gratiam denegasti. Hæc patrocina-  
 di ratio perquam facilis est & expedi-  
 ta,

LIBER I. CAPVT III. 19  
tā, si nos ad eam quoque aptemus,  
neque contrāstruamus obicem impœ-  
nitentiæ. Quemadmodum sapiens illa  
mulier Thecuitis apud Dauidem pa-  
trem Absalonis exulis filij perduellis  
causam egit, ac peregit felicissimè. Vt  
Iudith prudentia sua ac fortitudine po-  
pulo salutem attulit Holoferne trunca-  
to. Vt Hebræos Esther ab internecone  
& fraudibus Aman, apud Assuerum Re-  
gem sapientissimè vindicauit: sic, ne lon-  
gior sim in cæteris figuris recensendis, o-  
ptima generis nostri patrona, suorū apud  
filium clientum negotia salutis, euentu  
felicissimo prosequetur. Quòd Parthe-  
nius Sodalis Dominam appellat, & in-  
seruum se perpetuum recipi postulat, id  
facit æquissimo iure. Nam cū n sit mater  
Dei ac Domini nostri, conditoris ac re-  
demptoris, nos vtroq; hoc iure & crea-  
tionis & redemptionis, & naturæ con-  
ditione vernaculos, & pretioso filij  
cruore seruos emptitios sibi vendicat,  
habet & dedititios, propensissimæ volū-  
tatis deuotione consecratos, qui libe-  
ram hanc seruitutem summæ ingenuita-  
tis

tis notam, ac præ claræ nobilitatis tesseram arbitrentur. Christiana seruitus, aiebat Agatha virgo (dic tu, Parthenia seruitus, quæ eadem est ac Christiana, perfectionis ac Deiparæ cultus studiosa) multò præstantior est Regum opibus atque superbia. Eam sibi seruitutem summo ducunt honori, emolumento ac solatio Sodales, qui vel tamquã extrema mancipia Diuæ Matris in Sodalitate, vti eius in regia quadam terrestri commorari gaudent, & cum Regio Vate profitentur animo gratissimo: *Melior est dies vna in atris tuis, super millia: Elegi abiectus esse in domo Dei, ac Domina mea, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

*Psal. 83.  
II.*

## CAPVT IV.

*Deiparam verè esse ac propriè Dominam nostram ac Reginam.*

**Q**uamquam hæc à me non ad hæreticos hominésve alienos ab honore Deiparæ reuincèdos, sed ad pios eius Sodales informandos refertur omnis oratio; tamen vt & illis fiat satis, & illustrum

strium Diuæ Virginis prærogatiuarum  
 fundamenta iaciantur, hoc & proxi-  
 mum caput iis attribuemus; nec ea per se  
 disputatio carebit eximio quodam fru-  
 ctu pietatis. More suo debacchantur he-  
 retici, quòd Deiparam Virginem non si-  
 ne iniuria Christi Domini, inquiunt, Do-  
 minam nostram ac Reginam appelle-  
 mus. Quibus nos & auctoritatem San-  
 ctorum Patrum, & rationem ab ipso  
 haustram lumine naturæ, & omnium na-  
 tionum consensum opponimus. Nam  
 omnium linguis Domina nostra cele-  
 bratur, quæ non alia frequentiore de-  
 signetur appellatione, quàm ab Italis *La*  
*Madonna*, ab Hispanis *Nuestra Señora*, à  
 Gallis nostratibus *Nostre Dame*. Et sanè  
 si Christus eius filius, Rex est & Domi-  
 nus noster, cui sit in omnes res creatas  
 summum ius & imperium, vt exigit di-  
 ninæ eius personæ dignitas, meritorum-  
 que, insuper passionis toleratæ ius atque  
 æquitas. à qua passione rediuius ait:  
*Data est mihi omnis potestas in celo, & inter-* *Matth. 28.*  
*ra. Ipse est Princeps Regum terra, & habet* *18.*  
*in vestimento & femore suo scriptum: Rex* *Apoc. 1. 5.*  
*regum,* *Apoc. 19.*  
*16.*

*regum, & Dominus dominantium.* Si non  
 modò spiritale regnum in omni negotio  
 salutis, & animarum nostrarum admini-  
 stratione, quod regnum merito passionis  
 est adeptus: sed, ex melioris notæ Theo-  
 logorum sententia, regnum quoque ci-  
 uile ac politicum, & verò etiam rerum  
 omnium creatarum absolutum do-  
 minium, quamquam illo non sit vsus, à  
 Deo Patre illi est attributum; quidni re-  
 gnum hoc atque dominium à Salvatore  
 filio, Virgini Matri, & pro sua in eam  
 propensissima voluntate, & materno et-  
 ià iure, iure inquam naturæ, quod summa  
 matrem inter ac filium propinquitas ac  
 necessitudo statuit, communicatum esse  
 censeamus? Quæ non modò non iniu-  
 ria, sed summa Christi est gloria: non e-  
 nim alio respectu ac titulo Sanctissima  
 Virgo Domina ac Regina censetur, quã  
 quòd eius summi Regis ac Domini ma-  
 ter existat. vt cæteræ prærogatiuæ, ita &  
 hæc summa potestas matri à filio est cõ-  
 municata. In filium igitur recurrunt o-  
 mnes matris honores, à quo primitus  
 fonte manarunt.

Ne-

Negat Aristoteles inter parentes & <sup>1. ib. 8.</sup> <sup>Eth. 6. 11.</sup> liberos, vti reges inter & subditos, intercedere propriè iustitiâ. est, inquit, pater essendi causa, enutritionis & eruditio- nis, & natura in filios obtinet imperium. Quamobrem quantumcumque filius dignitate crescat, parente tamen suo semper est inferior, vt qui sit ex illo pro- creatus, à quo vitam hanc acceperit, cui secundùm Deum præcipuè subditus esse debeat, tamquam excellenti atque emi- nenti vitæ suæ principio. Quare, vt id obi- ter interferam, ad virtutè religionis qua Deum colimus, proximè accedit virtus pietatis qua parentibus subdimur atque obsequimur. Hæc autem Philosophi ra- tio in Deipara & Salvatore eo magis va- lere debet, quòd hæc illius sola parens extiterit absque viri vllius interuentu, quòd à Spiritu sancto imprægnata om- nem efformando corpusculo materiam sola suppeditarit; non matris modò, ve- rùm & patris in illum ius & imperium quodammodo obtinens, illum habens debitorem, sibi que iure pietatis obstri- ctum, cui res omnes creatæ debēt & sum-  
mo

mo seruitutis iure tenentur astrictæ. ad hanc igitur matrem ipso volente ac deferente filio, omnes eius honores, dignitates, præcellentiæ iure quàm optimo pertinent. Accedit & altera causa ab eodem Philosopho tradita, quòd filius minimè sit quidpiam diuersum à patre; sed idem omnino cum illo, aut pars illius. eiusdem autem ad seipsum nulla propriè est equalitas aut inæqualitas; quare nec vlla bonorum honorumue diuisio, sed summa communicatio: vt filius paternorum bonorum est heres ac dominus; ita quæ filius sibi comparauit bona, iura, dignitates, honores parentibus accrescere debent. Quæ ratio vim quoq; potissimùm obtinet in Virgine Matre, quæ sola sine terreno patre mater extitit Saluatoris, non minus illi caritate atque animi beneuolentia quàm corporis consanguinitate cõiuncta. Neque verò hîc quispiam interponat, Christum ob supremam illam infinitam diuinæ hypostaseos eminentiam à patria matris potestate exemptum fuisse, vt erat liber ab omni seruitute, omniq; regum ac principũ externa  
iuris-

iurisdictione: non enim patria potestas  
 indecoram & alienam à Christi maie-  
 state subiectionem inducit. Non vtique,  
 ait Ambrosius, infirmitatis, sed pietatis *Lib. 1. in*  
 ista subiectio est; nobilis est, ingenua, *Lucam.*  
 plena laudis & honestatis subiectio quæ  
 de virtute pietatis enascitur, nihil de li-  
 bertate diminuit, nihil de ingenuitate  
 detrahit; quæ ipsa est germana libertatis  
 & ingenuitatis nota, velut ex aduerso re-  
 pugnans atque opposita seruituti. quan-  
 tum inter se filij ac serui vocabula con-  
 ditionesque discrepant, tantum seruitus  
 abest ab hac virtutis & pietatis libera  
 subiectione, quæ salua illa sūma propin-  
 quitate tolli nequit. Habet igitur Vir-  
 go Mater in filium Deum patriam pote-  
 statem & auctoritatem, eiusque sibi regnū  
 ac dominium in res creatas æquissimo  
 iure materno vindicat. Quam in senten-  
 tiam conspirant Patres. Magnus Atha- *In Euang.*  
 nasius: Quando quidem ipse Rex est qui *de S. nostra*  
 natus est ex Virgine, idemque Dominus *Deipara.*  
 & Deus; eapropter & mater, quæ eum  
 genuit, & Regina & Domina & Deipara  
 propriè & verè censetur. quod domi-  
 B nium

nium etsi mox restringere videatur secundum fœmineum sexum, quale regis matri vel coniugi conuenit; nihil tamen de Virginis potestate ac auctoritate detrahit; sed eius fontem ex quo sit orta demonstrat. Damascenus: Gratia (namque hoc sonat Annæ uocabulum) Dominam parit, id enim Mariæ nomine significatur. Nam reuera domina facta est omnium creaturarum, cum conditoris omnium effecta est mater.

*Lib. 4. de  
Fide Orth.  
cap. 15.*

*Orat. 2. de  
assumpt.*

Oportebat Dei matrem quæ filij erant possidere, atque ab omnibus rebus conditis ut Dei matrem adorari: quamquam enim ita comparatum est, ut hereditas à parentibus ad filios deoluatur; nunc autem, ut eruditi cuiusdam uiri uerbis utar, Sursum sacrorum fluminum fontes fluunt: etenim filius matri res omnes conditas in seruitutem addixit. Is autem uir eruditus est Gregorius Nazianzenus, qui sæpè Virginem mundi Reginam celebrat atque inuocat.

*Lib. 3. in  
Cap. 4.*

Ad eundem modum è Latinis Rupert. Hæc in cælis, ait, Regina cælorum est, & in terris Regina regnorum: quandoquidem est

est mater Regis coronati, quē Dominus constituit super opera manuum suarum, ac proinde Regina constituta totum iure possidet filij regnum. quo iure? non alio quā materno, quia quod filij regnum est, & matris esse regnum lōgè est æquissimum. Arnoldus verò Carnotensis ea potissimū vtitur ratione, quòd filius idem sit cum matre, ac velut pars illius. Nec à dominatione, inquit, vel potentia filij mater potest esse seiuncta: vna est Mariæ & Christi caro, vnus spiritus, vna charitas; & ex quo dictum est ei, *Dominus tecum*, inseparabiliter perseuerat promissum & donum. Denique concludens: Filij gloriam cum matre non tam communem iudico, quā eandem. Hanc ego gloriam nunc interpretere eam quam Archangelus Virgini nuntiauit de filio cōcipiendo: *Hic erit magnus, & filius Altissimi* Luc. I. 32. *mi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus* 33. *sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

*De laudib.  
Virginis.*

Sed copiosissimè tractat hoc argumentum D. Anselmus, ac probat Deiparam *De excell. Virg. c. 40. & 90.*

in primis iure materno præsidere cælo  
 & terræ cum filio, quòd illum Deum ho-  
 minem de utero suo virgo peperit. qua-  
 re ut ille Rex est & supremus omnium  
 Dominus, ita quæ illum genuit, Regina  
 ac rerum omnium est Domina. Tum &  
 illam prosequitur rationem, quòd sacra-  
 tissima Virgo in Spiritus sancti, a deo quæ  
 totius Augustissimæ Trinitatis, sponsam  
 dignissimam cooprata est. Igitur & in  
 omnium cum sponso Deo bonorum ad-  
 missa communionem, cui dotis nomine  
 datum sit hoc regnum, & in res creatas  
 absolutum dominium. Qua de re etiam  
 Epiphanius, Quomodo Virgo inueni-  
 tur esse cælestis sponsa & mater, quæ do-  
 norum antenuptialium nomine Spiri-  
 tum sanctum acceperit, dotis verò gratiâ  
 cælum & terram.

*De laudib.  
 Virginis.*

Denique res omnes creatas primo-  
 rum inobedientiâ parentum in peccati  
 seruitutem addictas, Sanctissima Virgo  
 per filium instauravit, ac pristinæ resti-  
 tuit libertati, ut non iam hostibus capita-  
 libus, sed amicis & Dei filijs inseruirent.  
 Pro merita est igitur, ut earum supremo  
 regno

regno ac dominio diuinitus ornaretur. Cui rationi ab Anselmo traditæ affinis est ea quæ profertur in VII. Synodo, in qua Patres Gregoriū citātes, eam omnium Christianorum dominā appellant, quòd singulari ratione Saluatori filio ad opus nostræ salutis cooperata fuerit. Nempe cū illum vtero concepit intemerato, cū in lucem edidit, ac per omnes ætatis gradus ad virilem vsque perduxit atque enutriuit, cū eundem illum in ara crucis, & sæpè aliàs æterno Patri nostræ salutis victimam obtulit. Quod quidem spiritale regnum in animas nostras filij passione comparatum, longè pluris æstimat, quàm temporanea regna dominia-que. atque vt illud vsurpet in animas nostras, salutari eas regat consilio, permoueat imperio, tum præsidio patrocinioque suo defendat, nostræ sit illa salutis præses, bonorum operum adiutrix atque excitatrix, diuinæ filij gratiæ conciliatrix, ac perseuerantiæ, qua ad cælestis regni metam decurso huius vitæ stadio pertingamus, elaborandum est. Quod *Esther 4.*  
*Et 14.*  
 Esther Regina Mardocheus aiebat, Et

quis nouit utrùm idcirco ad regnum ueneris, ut in tali tempore parareris? id nos asseueranter ingeramus cum supplici prece Dominæ nostræ: Non frustra sit ab Augustissima Trinitate, cæli terræque Regina, atque omnis creaturæ Domina cōstituta; sed porro pergat ærumnosis clientibus in tempore subuenire, & ad sempiternum & cæleste regnum uiam præmunire, aditumque patefacere.

## CAPUT V.

*Ad Christum mediatorem Sanctissima Virgo Mater mediatrix adhibenda.*

**F**erunt ægerrimè præterea, nosque damnant hæretici, quòd Dei Matrem Mediaticem nostram, Aduocatam ac Patronam appellemus, opponuntque illud Apostoli: *Vnus est Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* 1. Tim. 2. 5. Tum illud quoque Ioannis Apostoli, *Filioli mei, hæc scribo uobis, ut non peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Pa-*

Pa-

Patrem Iesum Christum iustum. Quibus testimonijs id quidem efficitur; vnum esse antonomasticōs per excellentiam supremum Mediatorem, vnum Saluatorem, qui nos obita morte reconciliauit aeterno Patri, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis, vt adijcit Apostolus, qui summum illud absolutæ rigidæque iustitiæ pretium exsoluit; nosque à peccati seruitute in Dei filiorum asseruit libertatem: vnum esse Aduocatum eminentissima illa ratione, qui sit propriatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi, qui recensita sua morte, plagisque ac sanguine oblati Deo Patri, ex summo illo æquitatis iure causam nostræ salutis agat atque obtineat. Nihil tamen impedimur, quin ad ipsum Christum siue quæ homo, siue quæ Deus est, alios adhibeamus sequestrōs ac mediatores, qui nos eius beneuolentiæ concilient, ne, quod nostra promerentur peccata, primo ipso in aditu repudiemur, atque abiiciamur; vt in humanis quoque Principum aulis fieri mos est, idque Principibus & hono-

rificentius & gratius accidit, si per suos familiares, quibus eum honorem haberi volunt, adeantur. Nihil inquam impedimur, quin & alios aduocatos ac deprecatores adhibeamus ad ipsum Christum, qui libellos illi supplices nostrarum precum offerant, indulgentiamque tanto facilius obtineant, quanto apud eum in maiore sunt gratia. Qui quidem quamplurimi sunt aulae caelestis principes, apud Christum summè gratiosi, quibus omnia defert; tamen ante omnes, uti est æquissimum, sanctissimam suam parentem ad sese Mediatricem & Aduocatam allegari gaudet, eiusque maternam gratiam & auctoritatem ac propè iustum deprecationis imperium interponi vehementer optat; ut per quam ipse de caelis ad nos delapsus est, per quam, & in qua factus est homo, Mediator ac Saluator noster, per eandem omnia nostra postulata cōcedat, vberemque peractæ redemptionis fructum derinet. Totis, inquit Bernardus, medullis cordium, totis quidem præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia

*Sermo. de  
Natiuit.*

quia hæc est voluntas Domini, qui nos totum habere voluit per Mariam. Si quid spei, si quid salutis, si quid gratiæ in nobis est, ab ea norimus redundare.

In eandem sententiam Germanus Patriarcha Constantinop. Nullus est qui saluus fiat nisi per te, ô fortissima; nullus est qui liberetur à malis nisi per te, ô purissima; nemo est cui donum concedatur nisi per te, ô castissima; nemo est cuius misereatur gratia nisi per te, ô honestissima. Mitto alios tum Græcos, tum Latinos Patres: hi duo pro vniuersis totaq; Ecclesia testimonium dixisse ceseantur. Nemo est Orthodoxorum, cui nõ sit exploratum, vni Christo Domino peractæ nostræ redemptionis opus adscribendum, qui solus condignum illius pretium ad extremum iustitiæ rigorem exsoluerit, ad quod neque D. Mater, neque Sanctorum vllus de suo quidquam conferre potuerit, aut debuerit. Non debuit quidem, cum esset illud exuberantissimum, immensum, adiuncta diuinitate infinitum; at neque potuit, cum vni Christo ex Verbi hypostaseosq; præstãtia, & quòd esset

*De zona & fascijs Dei para.*

humani generis caput, alijs de condigno gratiam promereri mortalibus conueniret; tamen non sine iustissima causa præ ceteris quoque Sanctis Deipara Mediatrix nostra & Aduocata, secundum filium humanæ salutis adiutrix, auctrix vitæ, ac gratiæ conciliatrix, à Sanctis Patribus appellatur. Sic illam quidem salutat Ephrem vetustus ac pius auctor: Ave Dei & hominum mediatrix, ave totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima. quam & vallum fidelium, mundi salutem, & laborantium propitiatorium appellat Bernardus, frequentissimè Mediatricem, Gratiæ inuentricem, Mediatricem salutis, Restauratricem sæculorū.

*De laudib.  
Virg.*

*Serm. 2. de  
Assumpt.  
epist. 174.*

Principio Sanctissima Virgo singulari quadam ratione ad nostram est cooperata salutem, dum Archangelo Gabrieli nuntium de diuino Verbi conceptu perferenti, summa nostri charitate est assensa, summoque desiderio ac voto redemptionis humanæ, semet obtulit ancillam Domini, ad illū intemeratis suis in visceribus excipiendum, & de suis cruoribus humanitate conuestiendum.

Qui

Qui quidem diuinus cōceptus fuit opus naturæ, summi tamen meriti, & ad illum se D. Mater eximia fide, humilitate, obedientia, charitate cōparauit. Primus hic eius assensus, prima velut fuit ac præuia quædam cōgrua nostræ salutis effectio. Tum Saluatori filio corpus, quod pro nostra salute dirissimis offerret tormētis, sanguinē, quem in redemptionis pretiū effunderet, de suo suppeditauit. Quò pertinet illud Bernardi: Redempturus

*Serm. in illud, Significum magnum.*

humanum genus pretiū vniuersum contulit in Mariam. A matre Saluator hausit, vnde pati posset ac mori; tametsi præcipua laus eius meriti valorque infinitus ex adiūcta diuinitate peteretur. Deinde contulit eximia ratione ad eandem redemptionem D. Mater, cūm mox vbi Verbum caro factum est in eius vtero intemerato, vbi velut arboris radici fruticem Deum hominem effectum sibi cohærere sensit, tum cūm maximè suus esset, ac post cūm illum virgineo est enixa partu, cūm illum hominem Deum possedit, & in omni deinceps vita, quoties illi maternæ sedulitatis ac pietatis obse-

quium aliquod impendit; sed extremo potissimum mortalis vitæ die, cum patientem illum vidit, extremam manum operi redemptionis admouentem, cum ad eius crucis pedem astitit, morientis extremum exceptura spiritum; tum illum filium suum qui suus erat, in sua potestate, quem ex se procrearat, humanæ redemptionis victimam obtulit æterno Patri. Et quamquam immenso quodam cum animi sui cruciatu, ut quæ millies ipsa mortem acerbissimam præoptasset; tamen ardens generis nostri charitate, & ut ad diuinam cælestis Patris filijque Saluatoris voluntatem suam quoque adiungeret ac conformaret; cupiuit & optauit illum in cruce mori, ipsa illum voto ac desiderio nostræ salutis immolauit: ut Pater æternus, sic & ipsa pia Mater filium suum vnigenitum nobis dedit; ut sese filius, auctore Spiritu sancto, humanæ salutis holocaustum obtulit, sic & illa obtulit, eandem hominum ardenti prece deprecata salutem. Ad filij cruentam oblationem suam adiunxit flagrantissimæ charitatis incruentam. Omnino,  
in-

inquit Arnoldus Carnotensis, tunc erat vna Christi & Mariæ volūtas, vnumque holocaustum, ambo pariter offerebant, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis. vnde communem in mundi salute cum illo effectum obtinuit. Vt ea Christi super ara crucis oblatio fuit infiniti pretij, exuberantissima de condigno satisfactio, perfectaque & absoluta nostræ salutis effectio; ita B. Matris adiuncta suiinet & filij millies sibi vita charioris immolatio, summi cuiusdam meriti, quod Theologi de congruo vocant, satisfactio fuit, hoc est, nostræ salutis per filium congruentissima quædam impetratio. Denique communis illa videri possit D. Matri cum ceteris Sæctis nostræ salutis peragenda ratio per adhibitas apud Saluatorem preces, quibus in nos eius redemptionis fructus, & omnis necessaria ad salutem præsidiorum diuinæ gratiæ copia deriuatur, quibus ipsa Christi passio ac redemptio nobis applicatur; tamē ambigi non potest, quin eximia sit & planè singularis habēda B. Matris deprecatio, siue adhuc agentis in terris, si-

*De laudib.  
Deipara.*

*Bonauent.  
1. d. 48. q.  
2. Abulens.  
c. 9. Deut.*

ue modò regnantis in cælis, pro ea qua apud Deum filium valet gratia & auctoritate. Ac quemadmodum primo parenti Adamo addita est Eua adiutorium simile sibi, cum eodem generis nostri propagatrix & origo ruinæ: nō quòd ea sola peccante perijssemus, sed quia marito fuit occasio lapsus, quia peccati subministravit illecebram arboris interdictæ pomum; ita D. Mater filio Saluatori secūdo Adamo data est in adiutorium simile, nō dignitate ac meritis, sed voluntate ac charitate erga homines, generis nostri reparatrix, & origo salutis: non quòd non eam vnus Saluator exhibito pretio diuini sui cruoris exegerit, sed quòd illum ipsa cruorem suppeditarit, quòd in omni vita ac passione comes astiterit, vtq; eius redemptionis fructus in nos deriuaretur, interposita sua deprecatione perfecit, quòd hodieque hominibus ipsa fructum benedictum ventris sui, fructū vitæ atq; omnis benedictionis elargiatur. Qua in Eux Virginitq; Matris antithesi frequētissimi sunt ac disertissimi SS. PP. E quibus August.

Ma-

*serm. 15. de  
SS. qui est  
2. de An-  
nuntiat.*

Mater generis nostri pœnam intulit mû-  
do , genitrix Domini nostri salutem at-  
tulit mundo; auctrix peccati Eua, auctrix  
meriti Maria ; Eua occidendo obfuit,  
Maria viuificando profuit. Breuiffimè  
Hieron. Mors per Euam, vita per Ma-  
riam. Nunc quidem in cœlis Saluatorem  
quà etiam homo est, cœlesti Patri suppli-  
cè esse, ac nouas funderè preces, cùm o-  
mnis ei data sit potestas, auctore D. Gre-  
gorio Nazianz. nō opinâtur graues The-  
ologi; quòd ab eius dignitate ac maiesta-  
te videatur alienum , si supplex genibus  
flexis obsecrare credatur, qui pro sua po-  
testat auctoritâte statuere , omniumque  
postulatis annuere. At quin ad Deum fi-  
lium Diua Mater à nobis interpellata  
supplex audeat , genibusque eius prouo-  
luta, supplices precum nostrarum libel-  
los offerat, indulgentiamque ac gratiam  
omnem obtineat, nemo ab eius vel di-  
gnitate vel benignitate putarit alienum.  
Quòd si quis illi quoque, tanquam su-  
premæ omnium Reginae, de omnibus  
decernendi plenam absolutamque con-  
tenderit attributam esse potestatem ; id  
certè

*Ad Eusto-  
thium ep.*  
23.

*Orat. 36.  
qua est 4.  
de Theolog.*

certè nequit ambigi, quin & Saluator æterno Patri, sibi que quæ Deus est, exhibeat homo suæ passionis in manibus pedibusque ac latere vulnerum impressa vestigia, ceteraque peractæ redemptionis indicia; quin & Diua Mater amantissimo filio pectus, & vterum quo eum gestauit, vbera quibus lactauit, ac cetera maternæ sedulitatis officia repræsentet. vt maximo nobis esse debeat solatio quod è Bernardo vel Arnoldo, eius contemporaneo profertur: Ad Deum, ô homo, securum iam habes accessum, vbi mater stat ante filium, filius ante Patrem; mater ostendit filio pectus & vbera, filius exhibet Patri latus & vulnera: nec omnino potest esse repulsa, vbi concurrunt & orant omni lingua disertius hæc clementiæ monumenta. Ad Patrem, inquit Bernardus, verebaris accedere, Iesum tibi dedit mediatorem, quid non apud talem patrem talis filius obtineat? Exaudietur vtique pro sua reuerentia: sed forsitan in ipso maiestatem vereare diuinã, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus; aduocatum habere vis ad ipsum?

*De laudib.  
Virgin. to-  
mo 6. Bi-  
blioth.*

*Serm. de  
Aqua du-  
æu.*

ipsum? ad Mariam recurre. Pura siquidē humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. nec dubius dixerim, Exaudietur & ipsa pro sua reuerentia. Exaudiet utique matrem filius, & exaudiet filiū Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? potestne filius aut repellere aut sustinere repulsam? Neutrum planè.

Et alio sermone: Opus, inquit, mediator ad mediatorem Christū, quia licet misericors, habet tamen iudiciariam potestatem; nec alter nobis utilior quàm Maria. Quod de iudiciaria potestate meminit Bernardus, id ipsum quoq; tradit Anselmus, faciliùs nos exaudiri Virginis Matris, quàm Saluatoris allegato nomine; non quòd illud existat potentius, sed quia filius Dominus est & iudex omniū, discernens merita singulorum. Mihi verò non modò Iudicis æquissimi & incorrupti personam sustinere videtur Saluator, verùm etiam quadam tenus actoris aduersum nos, à quibus grauiter offensus

*Serm. in  
illud, Si-  
gnum ma-  
gnum.*

sus est, ad iustissimam sæpè multis crimi-  
 nibus iracundiam prouocatus, qui re-  
 demptionis eius oblatae fructu, aut per  
 focordiam minimè fuerimus vsi, aut ve-  
 rò etiam sceleratiùs in perniciem nostrã  
 abusi. Cùm igitur idem sit Iudex, &  
 propemodũ actor, offensus à nobis, cùm  
 illius agatur causa, cùm iustitiæ quoque  
 suæ debeat ac velit obsequi, planè ad il-  
 lum mediatorem Iudicem opus fuit me-  
 diatore. Nec oportunior reperiri potuit  
 quàm ipsius Iudicis mater clementissi-  
 ma, cui nullæ nisi patrocinandæ partes  
 impositæ sunt, quæ tota pietate ac mise-  
 ricordia constat, aduersus filium Deum  
 pretiosissima, ac per eundem potentissi-  
 ma, aduersus nos ærumnosos mortales  
 beneuolentissima ac misericordissima.  
 Ergo cõcilianda nobis omni studio ma-  
 ter hæc misericordiæ, mediatrix generis  
 nostri, & singulorum aduocata, quæ ad  
 commiserandum & opitulandum sua  
 sponte propensissima est. Vt in patre  
 seueritas & grauitas, & in matre comitas  
 benignitasque magis elucet: ita nobis  
 indulgere videtur Saluator, si quid am-  
 plius

plius aduersus se timoris & reuerentiæ,  
 aduersus verò matrem confidentiæ &  
 amoris afferamus. Ad commiserationē  
 facta magis est indoles muliebris quàm  
 virilis, & inter mulieres, quę vel ætate vel  
 virtute sunt virgines, teneriore quodam  
 esse solent affectu; sed omnium mulie-  
 rum virginumque Dei mater integerrima,  
 pietatis ac commiserationis affectū  
 vincit, cuius in visceribus nouem ipsos  
 menses commorata est misericordia; cui  
 munus hoc ipsum miserendi atque opi-  
 tulandi mortalibus à Deo impositum  
 est; quæ marris Euxæ & omniū eius po-  
 sterorum, filij beneficio, constituta est  
 singularis aduocata. Qua de re præclare  
 Irenæus: Sicut Eua seducta est vt effuge-  
 ret Deum; sic Maria suasa est obedire  
 Deo, vt virginis Euxæ, Virgo Maria fieret  
 aduocata. Ad te igitur, ô misericordiæ  
 mater, vita, dulcedo, & spes nostra, cla-  
 mamus exules filij Euxæ. Eia ergo Aduo-  
 cata nostra illos tuos misericordes ocu-  
 los ad nos conuerte. Quæ verba, *Eia ergo*  
*Aduocata*, cū aliquando pronuntiaret  
 S. Gertrudis, videbatur sibi clementissi-  
 mam

*Lib. 5. con-  
 tra hares.  
 c. 19.*

*Lib. 4. di-  
 uin. Insi-  
 nuat. 53.*

nam Matrem ad sese in terram versus  
funibus attrahere; cùm adderet, *Illos tuos  
misericordes oculos*, Sanctissima Mater filij  
vultum atque oculos versus homines in-  
flectere videbatur: quasi diceret, Isti sunt  
oculi mei misericordissimi, quos me in-  
uocantibus propitios exhibeo, vt ex ijs  
veluti fontibus salutem hauriant, inde  
illustrentur & incendantur ad eius amo-  
rem. Nec vllus abibat dies, quin, vt à Deo  
erat instituta S. Gertrudis, misericordiæ  
matrem hisce verbis appellaret. *Quam  
nos magistram & ducem sequamur, & à  
tuis vnaque filij tui benignissimis oculis,  
ô D. Mater, empyrei cæli primarijs astris  
viuificemur, illuminemur, inflamme-  
mur, & ad meritorum cælestis gloriæ se-  
getem vberriam facundemur. Amen.*

## CAPVT VI.

*Sodalitas genus est adoptionis spiri-  
tualis, quâ in B. Matris filios coo-  
ptamur.*

**Q**Uæ fuit appellata viuentium mater  
Eua (vt inde ordiamur vnde desij-  
mus) nouerca potiùs, ac morientium ma-  
ter extitit, mortis auctor antequam vitæ;  
cui subrogatam sacratissimam Virginem  
Mariam sempiternæ vitæ secundum fi-  
lium ac per filium conciliatricem vno  
depredicant ore SS. Patres. Ac mihi Vir-  
ginis ipsius apud S. Brigittam cõmemo-  
ratio plena semper visa est solatiij, cum  
se matrem Dei esse recenset, quia diuinæ  
eius maiestati ac bonitati sic placitum  
fuit; matrem omnium in cælis regnan-  
tium, qui, quemadmodum infantes, etsi  
quo reficiantur, habeant abunde am-  
brofiam ipsam ac nectar clarè conspe-  
ctæ deitatis, tamen aspectu matris exhi-  
larantur; matrem versantium in purga-  
torijs pœnis, qui eius precibus nulla non  
hora

*Iren. 5. ad-  
uers. hares.  
c. 59. & 3.*

*c. 33. Ter-  
tul. de carne  
Christi 17.*

*Athan.  
serm. de  
Deipar.*

*Aug. 3. de  
symbol. ad  
Catechum.*

*\* Lib. 4.  
Reuelat.  
138.*

A-

hora suas sibi mitigari pœnas experiantur; matrem peregrinantium in terris, tum iustorum, quos ab omni discrimine sui corporis oppositu vindicare sit parata; tum etiam peccatorum si qui resipiscere velint, quos non secus atque nudum & inermem filium strictis hostium mucronibus appetitum, sine sinu contegere velit, si ad eum vera ducti pœnitentia confugiant. Plus etiam aliquando D. Matri tribuit S. August. dum inde elicit eam esse parentem nostram, quia cum sit mater Christi, est etiam membrorum eius: quia non carne tantum, sed & spiritu mater est Christi. Fuit, inquit, mater spiritu non capitis nostri, quod est ipse Saluator, à quo magis ipsa spiritaliter nata est, sed planè mater membrorum eius, quod nos sumus; quia cooperata est charitate sua, ut omnes fideles in Ecclesia nascerentur. Addit tunc eniti hoc corpus mysticum Christi, quod nos sumus, cum illud tandem edit cælo ac beatè illi sempiternæq; vitæ. Quare quoadiu sumus in hoc mundo, continet nos ac in visceribus suis gestat, sua nos ani-

mar

*De sancta  
virginit.  
c. 6.*

mat inspiratione: non enim alia quàm matris respiratione foetus in vtero viuit de sententia medicorum. Certè sic nos aspicit quasi quædam membra filio suo capiti per omnem iuncturam coagmentata. Si tempus quis exquirat quo primū spiritu nostra mater esse cœperit, & in hanc adoptionis filiorum Dei gratiæ vitam ediderit, quo potissimū tempore, vt filio suo capiti nostro non indecora membra connecteremur, ad laborarit; id præcipuè tempus occurrit, quo Saluator nostræ huius salutis opus explebat in cruce moriens, quo nos adoptione cælestis sui Patris filios efficiebat, & in Ioanne discipulo B. quoq; matri suæ commendabat. Tum & illa nos in spiritu genuit, cum ad crucis filij pedem stetit, illumque vnicum filium suum humanæ reconciliationis hostiam acceptissimam obtulit Augustissimæ Trinitati; tum vt in adoptiuos illi filios consignaremur, est promerita. Sanè si tum pro vniuersis futuris aliquando filij sectatoribus preces ad Deum fudit, si tum eorum saluti summa charitate litato eo diuino filij cruore,

re, qui è sacratis eius plagis manabat, egregiè cooperata est; nihil dubitarim, quin pro Sodalibus & clientibus, eius opem ac patrocinium imploraturis, speciatim exorarit, eorumque salutem ea prece & oblatione, quæ summi cuiusdam, ut loquuntur, de congruo meriti seu cõgruentissimæ ac potentissimæ vim impetrationis obtinuit, affecuta fuerit. Tum sanè cùm omnes Saluator futuros aliquando discipulos suos in Ioanne cõmendabat amantissimæ matri, Sodales Parthenios ab eo præcipuè fuisse comprehensos ac denotatos non potest ambigi, cùm eos omnes Saluator in mentis haberet prospectu, sigillatimque in Ioanne discipulo designaret. Ac mihi quidem ea morientis supremo legato ac testamento mox obita morte confirmando filiorum consignatio, spiritalis quædam adoptatio fuisse videtur, qua primogenitus ipse nos sibi fratres ac coheredes, ac cùm cælestis Patris, tum Beatæ quoque matris suæ filios adsciuit: nec verò illa nos filiorum habere loco gravabitur, quos ipse Saluator fratres non ab-

abnuitt, ac quos sua passione & morte comparauit. Ad hæc, ipsa in Sodalitatem receptio, spiritalis quædam est adoptatio, atque in familiam Sanctissimæ Virginis insitio, quæ mutua summaque tum matris adoptantis, tum adoptati filij, volûrate perficiatur, de indulto summi Principis filij eius Saluatoris, cui nihil æquè cordi quàm plurimos matri suæ spiritales esse liberos, à quibus colatur & obseruetur. Hanc singularem gratiam prærogatiuamque Sodalitatis Ioannis nomen, quod idem valet ac gratia, videtur innuere. Id planè Sodalibus speciatim conuenit, quod de se Ioannes commemorat, *Et accepit eam discipulus in sua,* nimirum officia atque obsequia, in curarum partem, præcipuamque in ea tanquam matre colenda, obseruanda ac demerenda sollicitudinem. Nam de facultatibus rerum externarum quibus Ioannes piscatoris arte victum antè quæritans non abundarat, & iam Dominum secutus se exuerat, relictis retibus & nauui, commodè non potest accipi; sed tum de affectu veri germanique filij, tum de

C omni

omni obsequio, quod ab amante filio  
 vidua mater exigere queat. Hoc autem  
 in affectu, obsequijque deuota ac maxi-  
 mē propensa voluntate, Ioanni subro-  
 garum se quisque Parthenius Sodalis ex-  
 istimare debet, atque hanc sibi primam  
 præcipuamque curam in omni vita, ce-  
 teris omnibus curis longè posthabitis, du-  
 cere Virginis Matris præcipuo semper  
 studio colendæ & obseruandæ. Quo fi-  
 ne reuocet sibi in mentem quos ad cru-  
 cis filij pedē B. Mater acerbissimos cor-  
 dis cruciatus pertulerit, quas materno-  
 rum viscerum conuulsiones, dum nos  
 secundogenitos Benoni filios doloris  
 edidit; quas in primogeniti sui Ioseph  
 virgineo partu Saluatoris effugerat, uti  
 monent Damascenus & Rupertus. qui  
 dum illud expendit, *Mulier cum parit tri-  
 stitiam habet*: Quia, inquit, ibi dolores ut  
 parturientis sustinuit, in passione vnige-  
 niti sui, omnium nostrū salutem B. Virgo  
 peperit, & facta planè omnium nostrū  
 mater est. ob quam fortè causam Chri-  
 stus de cruce mulierem appellauit, non  
 matrem: mulier enim nomen est matro-

næ,

## LIBER I. CAPVT VI. 51

nã, plures iam filios numerantis. Vbi nu-  
 pfit virgo, puella vel adolescentula nũ-  
 cupatur; vbi vnum enixa filium, puerpe-  
 ra; vbi iam plures, mulier vel matrona.  
 Ad idem spectat locus Cãt. 8. quo Chri-  
 stus animam hominis iusti sponsam.  
 suam sic appellat, *Sub arbore malo excita-* Cant. 8. 5.  
*uite, ibi peperit te mater tua, ibi parturiuit te*  
*genitrix tua.* Versionem Septuaginta, &  
 Theodreti sequamur interpretatio-  
 nem, nisi quòd ille gratiam, nos gra-  
 tia plenam interpretemur. Ait Chri-  
 stus, Sub arbore malo, sub salutifero  
 ligno crucis excitauit te, leuauit, atque  
 erexit à ruina & sordibus, in quibus mi-  
 ferrimè volutabaris. Ibi peperit te mater  
 tua, eademque mater mea Virgo Maria,  
 cùm mihi astitit morienti, & mortē meã  
 tibi salutarem ac vitalē esse precata est;  
 ibi parturiuit te genitrix tua, magno do-  
 lorum edidit nixu. Id enim interest in-  
 ter Parturio & Pario, quòd hoc commu-  
 nē partum, illud partum cum vehemen-  
 ti dolore significat. Vel hæc verba inter  
 Euam ac Deiparã partiamur; Sub arbo-  
 re malo, arbore interdicta peperit te ma-

Ivan. I. 12.

ter tua, communis mater Eua peccatis  
 sordidū edidit in mortem: at sub oppo-  
 sita crucis arbore parturiuit te genitrix  
 tua, Maria altera felicior Eua regenera-  
 uit te, sordibusque elutis ac deterfis in  
 vitam est enixa sempiternam. Quotquot  
 Saluatorem receperunt, *dedit eis potesta-*  
*tem filios Dei fieri, his qui non ex sanguini-*  
*bus, neque ex voluntate carnis, neque ex volū-*  
*tate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ad eum mo-  
 dum quotquot matrem receperunt in  
 suam parentem, indulgente filio, dedit  
 eis potestatem filios eius fieri, si nouam  
 ineant vitam ex noua filij Dei Saluatoris  
 regeneratione ac gratia traductam, lon-  
 gè dissimilem priori quā ex vetusta pri-  
 morum parentum origine, naturæque  
 vitiatę communi connubij lege permix-  
 to sexu contraxerant. Quotquot Dei-  
 param colunt affectu, officio, atque  
 obsequio filiorum, dubio procul & ipsa  
 vicissim illos materna omni pietate fo-  
 uebit, nouisq; quotidie ac beneficijs cu-  
 mulabit. Numquam se vinci patietur  
 eius immensa & inexhausta benignitas  
 planè mutuum illa rependet amorem

cui conuenit quod est in Prouerbiis, *Ego diligentes me diligo.* Et ampliùs omnino quàm diligatur ipsa diligit, & verò etiam priùs dilexit immerentes, cùm nondum essemus, ad filium pro nobis singulis Sodalibus preces effudit, ab eoq; nostram, vti speramus, salutem obtinuit. Quem admodum Samuelis mater Anna, sic illa de quoque nostrum commemorare potest: *Pro puero isto orauit, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulauit eum.* Idcirco commodauit eum Domino cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino. Expositus Moyses à matre in scirpea fiscella breui post Nili fluminis vndis obruendus, aut scopulis illidendus ferebatur; sed prouidente Deo incidit in filiã Pharaonis, quæ aperta fiscella cernens paruulum vagientem, miserata, per matrẽ, quã vti nutricem soror aduocarat, enutriendum curauit, adultumq; adoptauit in filium, vocauitq; nomen eius Moyses, dicens, *Quia de aqua tuli eum.* Quot Moyses clementissima mater Saluatoris, summi Regis nostri mater eadẽ, & soror, & sponsa, & filia, de secularibus

Prou. 8. 1

1. Reg. 1.  
27. & 28.

Exod. 1.

vndis naufragos eripuit, quot è certissi-  
 mo sempiternæ mortis discrimine vindi-  
 cavit, quos vix scirpea fiscella corporis  
 imbecillissimi adhuc retinebat, obrutos  
 iam pridem aquis vitiorum ac peccandi  
 consuetudine; sed inde ereptos, per hâc  
 Sodalitatem optimam sanè nutricem, in  
 omni virtute ac pietate curauit educan-  
 dos, vt matura iam adultos sanctitate, si-  
 bi eos adoptet in filios, regia cælesti he-  
 reditate non indignos! Illa nimirum est  
 mater diuinæ gratiæ, quæ per eam à filio  
 in omnes mortales deriuatur, mater pul-  
 chre dilectionis, timoris, & agnitionis,  
 & sanctæ spei, per quam & fidei cõtem-  
 plationisq; dono, spei timorisq; permix-  
 ti, quo miri fiût in sanctitate progressus;  
 denique charitatis diuinæ, quæ decor  
 est omnis animæ, quæ sola pulchrum  
 reddit amantem, virtutibus infusis sui  
 Sodales exornantur. B. Ambrosius hoc  
 erat in suos animo, vt verè diceret, Non  
 minùs vos diligo quos in Euangelio ge-  
 nui, quàm si coniugio genuissem: non  
 enim vehementior est natura ad diligen-  
 dum quàm gratia: plus certè diligere de-  
 bemus

1. Offic 7.

bemus quos perpetuò nobiscum putamus futuros, quàm quos tantùm in hoc sæculo. Quæ videtur oratio Diuæ Matri tanto iustiùs conuenire, quanto & purior eius est & ardentior in nos affectus, & veriùs nos ad sempiternam vitam filij sui mèrito ac beneficio procreauit. Plus apud eam valet voluntate suscepta coniunctio ac necessitudo, ad sempiternam directa felicitatem, quàm quæ fortuitò veluteuenit ad breuissimi temporis vsuram consanguinitas: arctior est atque potentior gratiæ quàm naturæ propinquitas: maius apud eam pondus obtinet hæc Sodalitatis quàm sanguinis coniunctio. Si Paulus Apostolus, quos sua prædicatione perduxerat ad Christi fidem, iure filios appellat, *Vt filios meos charissimos moneo; nam si decem millia pedagogorum habeatis, sed non multos patres: nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* & ad Philemonem, *Obscuro te pro filio meo Onesimo quem genui in vinculis: quid amantissima mater in omnes mortales, sed præcipuè in Sodales*

1. Cor. 4.

15.

Gal. 4. 19

Philem. 10

ac clientes affectu incomparabiliter ardentiore, quorum salutem & dum viueret omni apud filium promouit officio, & nunc porro promouet in cælis regnās impensius, pro ea qua flagrat ardētī charitate, quaque apud filium valet gratia & auctoritate; cui quidē auctoritati erga filium par in nos respōdet misericordia ac beneuolentia. An non verissimē

*Philip. 1. 7.*

*2. Cor. 7. 3.*

quod idem aiebat Apostolus, *Eò quòd habeam vos in corde: In cordibus nostris estis ad conuiuendum & commoriendum;* ad se quoque Sanctissima Mater traducat; suisque commemoret Sodalibus, qui illam semper in oculis atque intimis ferant præcordiis? Si tibi in corde est D. Mater, & te in eius esse corde ne dubita. quod quantum sit beneficium quis æstimet? Ea sunt piæ matris in quemque Sodalē viscera pietatis, vt sibi quisque ab ea dictum, quod est apud Isaiam, confidere debeat, *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui: quando nos, vt i censer August. vtero suo gestat adhuc ac circumfert*

*Isa. 49. 15.*

fert

fert tamquam Christi membra, quoad in caelestem ac sempiternam edat vitam; certè suæ Sodalitatis vtero fouet, & suamet respiratione, gratiæ inquam ac vitæ per filium inspiratione, velut imperfectos fœtus atque embryones animat perficitque, donec formetur in nobis Christus. Appositè igitur quemq; Sodallem commonefacit Guerricus Abbas: In hoc præterea tibi sit exemplo Iesus conceptus & gestatus in vtero, qui etsi grauidauit, nõ tamen grauaui vterum Mariæ. Sic te non sentiat grauem vterus Ecclesiæ, dixerim ego, Sodalitatis vterus aut Deiparæ Virginis, quæ te tamquam membrum Iesu gestare dicitur. Caue, ne illam pœniteat te concepisse, sicut Rebeccam pœnituit, cum aiebat, *Si sic mihi futurum erat quid necesse erat concipere?* Si de aliquo nostrum sic conqueri contigerit viscera matris nostræ, timeo ne melius fuisset si conceptus non esset homo ille. Ipse Deus in nobis, si qui tales sunt, emolliat cor lapideum, ne quatiant viscera matris, ipse viscera matris consoletur, ne fatigetur eos, qua-

*Serm. 3. de  
Annūtiat.*

58 DE BONO SODAL. PARTH.  
Iescumque sint, portare, donec forme-  
tur in eis Christus.

C A P V T VII.

*Sodalitas Gymnasium est omnis Chri-  
stianæ virtutis & perfectionis.*

**Q** Vos in spiritu genuit, & in lucem  
extulit immortalis spei B. Mater,  
eosdem ad omne virtutis studium insti-  
tuendos curat Sodales suos; habet ad  
eos scholam virtutū suarū optima diui-  
narum disciplinarū magistra, ab optimo  
& ipsa primitus erudita magistro, Spiri-  
tu sancto imprimis mentem eius inhabi-  
tante, omniumque eius dum viueret a-  
ctionū inspiratore & direttore; tum verò  
& à filio Deo Salvatore triginta trium &  
ampliùs annorum domestica consuetu-  
dine, familiarique & muta & viua ser-  
monum & exemplorum institutione ad  
omnem perfectionem efformata. Quos  
suos in schola virtutū eximios progres-  
sus æmulari nos cupit, & quemadmodū  
Apostolus, sic & ipsa iustiùs adhortatur:

*Imi-*

*Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Præclarè Ambros. Hic sumatis licet *Lib. 2. de Virgin.*  
 exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea quam splendor elegit? hoc huius scholæ gymnasiique præcipuum decus est & ornamentum, quòd Dei matre magistra gloriatur, quòd eius, quam Deitatis ipse splendor Dei Filius elegit in parentem, veluti clarissima luce refusa collustretur. Alterum decus in numerosa præstantium condiscipulorum frequentia, quorum assiduitas, diligentia feruorque addiscendi, & moribus exprimendi Magistræ virtutes, non mediocriter acuit exstimulatque ceterorum studia: quos inter postremum obtinere locum sanctæ cuiusdam æmulationis pudor est haud erubescendus; quos præeuntes insequi, si non proximo, at aliquo post intervallo, tametsi per nos maximè segnes torpidique simus, tamen incitamus at-

C 6      que

que impellimur. Multum valent hæc domestica & quotidiana consimilium nostri Sodalium exempla, nec parum promouent eorumdem incensi ad pietatem sermones & adhortationes, magnam vim habet plurimum in eodem virtutis studio conspirantium simul iuncta contentio. Nam quod maximi est æstimandum, & est velut tertium huius scholæ decus, usurpatur hinc ab vniuersis Sodalibus crebra virtutum omnium exercitatio; qua quidem exercitatione profectus vberior & copiosior, quàm multa prælectione continetur: quamquam non deest prælectio, vt mox dicam; sed ad prælectionem accedat oportet exercitatio, quæ potior est & fructuosior. Ipse enim vsus optimus est omnium magister, neque parari & in animum induci virtutes queunt, nisi ipsarum vsu & exercitatione, cuius maximam oportunitatem præbet Sodalitas, cum generis omnis officia atq; exercitia pietatis à suis reposcat Sodalibus, suisque ea legibus mandet, ac præscribat institutis. Notat id ipsum in Ethnicis Philosophus, ad virtu-

tes

2. *Ethicor.*

c. 4.

tes in animum inducendas nullam esse  
viam, præterquam earum officijs & a-  
ctionibus exercendis; quod contra fit,  
inquit, à plerisque, qui quod de virtuti-  
bus disputant, id sufficere credunt; simi-  
les ægrotis qui medicorum quidem præ-  
cepta diligenter auscultant, sed ea dein-  
de non obseruant; quare vt hi corpore,  
sic illi numquam animo valebunt. Iam  
verò prælectio diligensque præceptorum  
traditio in hac Deiparæ schola minimè  
desideratur, cùm in hebdomadarijs cõ-  
uentibus, tum in priuatis congressibus;  
& ipsa Virginis vita sanctissima, virtutũ-  
que clarissimarum inspectio, præstantis-  
sima est habenda prælectio, quam idem  
B. Ambrosius luculenter admodum ex-  
pressit. Talis, inquit, fuit Maria, vt eius  
vnius vita, omnium disciplina sit: si igitur  
auctor nõ displicet, opus probemus,  
vt quicumque eius optat præmium, imi-  
tetur exemplum. Ac mihi quidem prima  
prælectio videtur ea quæ ad externum  
decorum, modestiamque vultus & oris,  
totiusque corporis honestam speciem  
pertinet. de qua idem Ambros. Nihil

torum in oculis, nihil in verbis pro-  
 cax, nihil in actu inuerecundum; non gestus  
 fractior, non incessus solutior, non vox  
 petulantior, vt ipsa corporis species si-  
 mulacrum fuerit mentis, figura probita-  
 tis. Bona quippe domus in ipso vestibulo  
 debet agnosci, ac primo prætendat in-  
 gressu nihil intus latere tenebrarum. Ea  
 prima debet esse cura Parthenij Sodalis,  
 vt cui Dominæ famuletur Angelorum  
 Regina, ipso corporis externo gestu at-  
 que habitu commonstret; vt Virginis se  
 esse in clientela ac famularu, virgineis  
 exprimat oculis, gestibus, moribus, ipsa-  
 que verecundæ frontis & oris honesta  
 specie. Ceteram Deiparæ morum graui-  
 tatem, domesticam imprimis solitudinē,  
 foras prodeundi raritatem, incedendi  
 maturitatem, loquendi parcitatem, orā-  
 di legendique diuinos codices assiduita-  
 tem describit idem Ambros. Corde hu-  
 milis, verbis grauis, animi prudens, lo-  
 quendi parcior, legendi studiosior, non  
 in incerto diuitiarum, sed in prece pau-  
 peris spem reponens; intenta operi, ve-  
 recunda sermone, arbitrum mentis so-  
 lita

lita non hominem, sed Deum quærere: prodire domo nescia, nisi cùm ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus & propinquis, operosa secreto, forensi stipara comitatu; nullo tamen meliore sui custode, quàm seipsa, quæ incessu affatuque venerabilis, non tam vestigium pedis rolleret, quàm gradum virtutis attolleret. O Beatum Sodalem, qui cùm foras procedit, hanc sibi viæ duce ac comitē veluti Pedagogum adsciscit; à quo contineatur in officio, cuius in vestigijs sua rutissimè collocet, qui quoad potest recordatione perpetua sibi præsentem D. Matrem, & filium Saluatorem affingit, cuius in cōspectu peccare vereatur, à quo solatium præsidiumque in omni rerum euentu securus expectet!

Altera prælectio quoad ordinem modumque singularum quas quotidie vursurpamus actionum: Quî Deo sit vacandum, quî moderatè corpori seruiendum, quî cum maioribus natus, quî cum paribus & æqualibus agendum, de quibus Ambros. Quid exequar ciborum parsi-

mo-

moniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam superfuisse, alterum ipsi naturæ propè defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hîc congeminos ieiunio dies, & si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit; & tamen cùm quiesceret corpus vigilabat animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat; aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat. Non lædere reos, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Hæc aliaque qui volet plenius apud ipsum legat Ambros. illustria Sanctissimæ Virg. exempla morum, in vsus quotidianos traducenda: sed longè præcipua, cui plurimum studij atque operæ sit adhibendum, prælectio videtur heroicarum eiusdem virtutum cùm Theologicarum fidei, spei, charitatis; tum moralium prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis & temperan-

ran-

rantia, quæ suis singulæ locis erunt ediferendæ: est enim aliquanto prolixior, & ad fructum longè quasi vberima tractatio. Nunc ex omnibus Deiparæ virtutibus tres delegisse sufficiat: quas eius studiosus auditor quotidiana repetitione studeat altiùs infigere menti, & per omnem vitam vsurpare frequentius, humilitatem, castitatem, charitatem. Cumque in hac schola magis orando quàm nitendo proficiatur, eas virtutes ardentibus precibus, votis atque suspirijs à Christo Domino per Virginem Matrem auferre contendat; nec vllus abeat dies, quin eas cum à Virgine Matre, tum à Salvatore filio pia quadam contentione mentis efflagitet. Beata planè schola Deiparæ, quæ aut eadem est illa Christi Domini, aut ad illá proximè accedit, occulta & à sensibus remota schola, in qua docet interiùs cęlestis Pater in anima per internas gratiæ excitantis allocutiones, per illuminationes & inspirationes, auditoris cuiusq; moribus ingenijsq; accommodatas, cōgruas, potētes, efficaces, sine quibus parū, aut omnino nihil externa

vox doctoris promoueat. De qua schola  
 Christus Dominus : *Erunt omnes docibiles*  
*Ioan. 6. 45. Dei. Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me*  
*traxerit eum: Omnis qui audiuit à Patre meo*  
*& didicit, venit ad me.* Verū beneficio Pa-  
 tris ac Filij, omnis quoque qui audiuit à  
 Matre discit & venit ad filium. Trahit &  
 illa quàm plurimos ad filium, & hoc eru-  
 ditione potissimùm interna, suos institui-  
 turat accommoda mētis illustrationum  
 & inspirationū schola, quarum semper  
 oportuna copiam procurat, eo impēsius  
 & sollicitius, quo vicissim in suo cultu  
 propensiores intuetur. Ab ijs præsidijs  
 gratiæ congruæ pendet omnis noster in  
 virtute, & Christiana perfectione pro-  
 gressus : ad quæ item excipienda cū  
 mentem nostram veluti subigat atque e-  
 molliat ipsa in Virginem Matrem, quæ  
 plenissima est suauitatis & amoris, pietas  
 & obseruantia; non malè quispiam Dei-  
 paræ cultum, quo & præsidia gratiæ co-  
 piosè impetrantur, & nos ad illa exci-  
 pienda comparatur, ad virtutem om-  
 nem & perfectionem maximè compen-  
 diosam viam esse contenderit.

## CAPVT VIII.

*Sodalitas Deipara, Arx est & ciuitas aduersus hostium insultus munitissima.*

**Q**Væ de Prophetide Debbora, illique associata Iahel fortissima femina, cum Sisaram ducem Madian interemerunt, concinit diuina Scriptura; *Iudic. 5. &.* Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipsa subuertit, de celo dimicatum est, stella *v. 20.* manentes in ordine & cursu suo aduersus Sisaram pugnaverunt; ad Sanctissimam Virginem Dei matrem, quæ illarum veteris æui matronarum igniculos, vti clarissimum lumen abscondit, ait Hieron. tum ad eius auspicijs institutam Sodalitatē, tanto iustiùs transferri possunt, quanto infensior ac capitalior hostis infernalis ab ea per Saluatorem filium, in clientū suorum animis prostratus est ac triumphatus. De cælo dimicatum est, de cælesti Virginis anima, quæ Dei sedes est & domicilium, quæ sicut Sol in ortu splendet;

det; stellæ micantes & radiantes eius animæ vires illustrissimæ, ipsa quoque corporis externorum sensuum sidera fulgentissima, de statione, quam in nobis occupare moliebatur, hostem deiecerunt. Aut de cælo, de cælesti Sodalitate, quæ voto ac desiderio tota versatur in cælis, de cælesti velut arcis ac ciuitate Deiparæ munitissima, cuius in cælis sursum sunt erecta fundamenta, velut extra telorum iactum, cuius omnia sunt cælo præsidia, per Virginem Matrem, quæ hanc velut amicam sedem tuetur ac protegit, dimicatum est; stellæ micantes in ordine & cursu suo Beatarum mentium Angelicæ phalanges, quæ sunt omnes in ditione ac potestate Reginae cælorum, & mox ad eorum, à quibus illa piè fuerit in clamata, præsidium conuolant; ipsi Sodaliū Partheniorum præstantes cunei stellarum instar virtutibus effulgentes, nusquam de hac arcis Deiparæ fida statione se commouentes, in eius institutis ac legibus constanti hærentes vestigio, aduersus Sisaram pugnauerunt, de eoq; gloriosam hac duce & imperatrice

trice

trice Dei matre, victoriam reportarunt.  
 Tanti dux femina facti, belli princeps  
 Deipara, cuius auspicijs, ac sub cuius si-  
 gnis Sodalitas Parthenia dimicat. Noua  
 bella elegit Dominus. Hæc nostra est, v-  
 ti ritè Canisius monet, vera nō fabulosa  
 Minerua, cui verè conueniant quæ stulti  
 Græci velut eximia in sua prædicant Mi-  
 nerua, Virginitas, prudentia, fortitudo:  
 quæ tres in hac spiritali expeditione vir-  
 tutes imperatrici cū primis, tū & eius mi-  
 litibus præcipuè sūt necessarię: fortitudo  
 ad vim arcendā, hostiumq; impetū pro-  
 pulsandū, ad constantiā perseuerantiā  
 que in virtute; prudētia, ad eorum mali-  
 gnas artes detegēdas, dolosq; & insidias,  
 cū virtutis speciē eumentur vitia, præ-  
 cauendas; virginitas, ad subigendā carnē,  
 hostē domesticū, omnium hostium peri-  
 culosissimū atq; infensissimū, prodito-  
 rē occultum, qui nisi ceteris hostibus in  
 hanc arcem ac ciuitatē aditum præbeat,  
 inuicta semper erit & insuperabilis. Fru-  
 stra dæmon ac mūdus aduersus spiritum  
 niterentur, nisi carnem, à qua nequit  
 ille se exuere, in suas partes pertraxissent,  
 occul-

occultamq; ab ea seducta proditionem  
ac traditionem arcis faciendam esse cō-  
fiderent; sed est à castitate domanda ac  
coërcenda, omnibusq; diligentissimè  
custodijs asseruanda. Qua in dimicatio-  
ne aduersus carnē præiuit nobis integer-  
rima Virgo, quæ prima virginitatis erexit  
vexillum, vera quoque Penthesilea, de  
qua Latinus Poëta: Ducit Amazonū lu-  
natis agmina peltis Penthesilea: dux  
virginum vtriusque sexus innumerabi-  
lium resectis mammis & omni cura car-  
nis acerrimè dimicantium. Atque vt no-  
stris potiùs vtamur quàm externis, hæc  
est illa Sulamitis, quæ sicut amicis deco-  
rata est & amabilis, ita hostibus pauenda  
atque *terribilis, vt castrorum acies ordinata.*

Rupert. l. 6.  
in Cant. 6.  
9.

Exod. 14.  
4.

*Quid videbis in Sulamite nisi choros castro-  
rum?* chori sunt ad audiendum suaues,  
sed castrorum ad obfistendum hosti for-  
tes & insuperabiles. Hæc illa est Aurora  
vigiliaque matutina, Solis iustitiæ mox  
exorituræ prænuntia, quam Dominus in-  
tuitus Pharaonis currus vniuersos con-  
triuir, & in profundū mare rubrum de-  
mersit. *Et respiciens Dominus super castra Ae-  
gyptio-*

gyptiorum per columnā nubis & ignis, (quæ  
 vtraque columna Deiparæ symbolum  
 fuit, illa eius integerrimæ virginitatis,  
 hæc ardentissimæ charitatis,) interfecit  
 exercitum eorum, & subuertit rotas curruum,  
 ferebanturq; in profundum. Hæc illa Iu- *Judith 14.*  
 dith, quæ ciuitatem suam ab Holofernis  
 hostili vindicauit obsidione, obtrunca-  
 to superbæ duce, omniq; vitiorum  
 exercitu profligato. Vna mulier Hebræa *Jud. 14. 16.*  
 fecit confusionem in domo regis Nabuchodo-  
 nosor, de quo ipsa in Cantico gratiarū a-  
 ctionis, Dominus omnipotens nocuit eum, & *Jud. 16. 7.*  
 tradidit eum in manus femine, & confodit  
 eum. Cui iustissimè gratulantes accla-  
 memus: Benedixit te Dominus in virtute *Jud. 13. 22.*  
 sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos  
 nostros. In ciuitatem suam Bethuliam  
 modò nos recipiat, arcemq; & mænia  
 ciuitatis, ad quæ nos Sapientiæ voce be-  
 nignè prouocat (quam arcem & ciuita-  
 tem nunc Sodalitatem interpretor, ci-  
 uitatem refugij, ciuitatem munitā, cuius  
 murus & antemurale Saluator) erimus  
 eius ope præsidioq; tuti, aduersus om-  
 nes hostium insultus. Incidat licet Ho-  
 lo-

lofernes aquæ ductum aquæ terrestris,  
ac fontes humo scaturientes obturet; ac  
cælestem diuinæ gratiæ, quæ est ipsa Vir-  
go, non attinget, neque nobis vnquam,  
nisi vitio nostro intercludet aqueductû.

Mira admodû est & magna S. Scripturæ  
fæcunditas, multiplicisq; intelligentiæ  
sub eodem verborum integumento, la-  
tens vbertas. Illustris illa Vatis Isaia de  
Rege Sennacherib & vrbe Ierusalem va-

c. 37. v. 33.  
& 37.

*Non intrabit ciuitatem hanc, &  
non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam  
clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerẽ;  
Protegam ciuitatẽ istam, vt saluem eã propter  
me, & propter Dauid seruum meum; hæc in-  
quam varicinatio in Deipara mystico  
sensu credi potest impleta. quam hono-  
ris filij causa, omnis expertem immu-  
nemq; peccati, Deus ita protexit ac mu-  
niuit, vt ne quidem eam oppugnare ho-  
stis sit aggressus, aut, si est aggressus exte-  
rius, numquam interiore pugna laceffe-  
rit, cum eius pugnae careret irritamento,  
fomite concupiscentiæ; quam, vt obser-  
uat Richardus Victorinus, exhorresce-  
rent ipsi principes tenebrarum, ob eius*

c. 62. in Cæs.

ar-

## LIBER I. CAPVT VIII. 73

ardentissimæ charitatis emicantes flammas, orationumq; incensissimarum eiaculatas vndequaque scintillas, aut potius ardentibus globos, ne propius quidem accedere auderent, ne amburerentur muscæ istæ internales. Deinde Sodalitati quoque Partheniæ ea potest accommodari, vaticinatio ob singularem Deiparæ tutelam assiduamq; custodiam: est enim arx & ciuitas veluti Hierosolymitana pacis amantissima, diuini cultus obseruantissima, in qua veri Dei religio viget, diuino eius defensione præsidio, dispositis circumcirca custodijs Angelorum circumsepta, firmissimis legum optimarum atque institutionum circumuallata mœnibus, virtutum insuper & exemplorum Deiparæ propugnaculis cõmunita, denique telorum omni & armorum genere, com meatuq; diuini verbi copioso, & quem diuina Saluatoris Sacramenta largè suppeditant, instructa præclarissimè. Nequidquam eam Sennacherib infernalis oppugnabit, adhibitis omnibus tentationum suarum machinis; proteget eam D. Mater, & eius

D

ho-

honoris causâ, Saluator filius: aderit non vnus aliquis è cælo princeps Angelus, qui centum illa deleat aut propulset hostium octoginta millia; sed quot Sodalés, tot eorum Angeli tutelares, erunt in præsidio. Hæc illa *turris est David edificata cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Ac mihi quidem aduersus omnia pestifera atque ignea Cacodæmonis iacula vel vnus clypeus sat esse videretur sacratissimis Iesu & Mariæ nominibus insignitus. Certè si turris hæc nos contegat, si contineamur hac arce & ciuitate Deiparæ, si simus in eius præsidijs, si quæ suppeditat Sodalitas arma tractemus, nihil magnopere de certa victoria diffidendum. Quanquam, vti monet Apostolus, *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum, aduersus spiritalia nequitia in cælestibus;* tamen his potentior Dux nostra Dei mater existit, cui militat æther, & omnes beatorum spirituum exercitus obsequuntur, quæ numquam nos cælestibus præsidijs congruarum inspirationum & il-

Cant. 4. 4.

R  
123  
9.E  
4

lustrationum ad hosti resistendum oportunis destitui patietur. est cur de nobis ipsis diffidamus, imbecillitatis nostræ conscij, sed est quoque cur in D. Matris ope patrociniòque plurimum confidamus, si numquam ab eius arce ac ciuitate munitissima Sodalitatis pioque cultu recedamus. Habet hostis infernalis amplissimas copias, & aperta vi, & occultis dolis insidijsq; est instructissimus, cui nomina mille, mille nocendi artes. Ac ferè triplex agmen concupiscentiæ triplicis aduersum hanc arcem virtutis ac pietatis educere solet. præteream quam ipse ducit & instruit aciem superbiæ & ambitionis, alias quoque, quibus plurimum confidit, mundi & carnis auxiliatrices copias admouet; triplici præcipuè mænia ciuitatis huius ariete quatere nititur, Auaritiæ, Luxuriæ, Superbiæ; eius triplex cuneus, hac triplici machina de pietatis arce deicere nos molitur, sed frustra, si Principis nostræ & Imperatricis opem in clamauerimus, si vel eius augustissimi nominis clypeum opposuerimus, aut intra illa præclara virtutum eius & exem-

plorum Paupertatis, Humilitatis, & Angelicæ puritatis munimenta nos contingerimus. Imò verò hæc eadem duce ac præside, contrariam nobis aciem instruat, atque in campum educere licebit operum bonorū, Eleëmofynæ, Ieiunij, & Orationis, quâ triplex ille pestifer hostiū profligetur ac deleatur exercitus; Auaritiam Eleëmofyna dissipabit, Luxuriam comprimet atque edomabat Ieiunium, Ambitionem detruncabit Oratio. Potissimū exercitus sui robur in mundi cupiditate, & carnis voluptate situm esse non ignorat callidissimus hostis; atque his potissimū vitur ad ministris, carne præsertim hoste domestico. Nam quo Mundus & Caro blandiores sunt hostes (non enim feriendo, nec repellendo, sed alliciendo & complexando dimicant) eo sunt infestiores, importuniores, & superatu difficiliiores; auspicijs tamen & subsidijs Reginae nostræ, in eius arcem gloriosâ fugâ ac tuto receptu, si vigeat in animis nostris eius ardens pietatis affectus, si dominetur diuina filij eius charitas, planè peruincen-

LIBER I. CAPVT VIII. 77

centuræ ac proterentur. Vicerunt iam plurimi commilitonum nostrorum, ac sempernum illi Principi suæ in cælis defixere trophæum, victoriæ per eam partæ monumentum. hac eadem audendum duce ac confidendum, sub eiusmodi signis moriamur, illique interea gratulantes & confidentes accinamus: *In te* <sup>Psal. 43 6.</sup>  
*inimicos nostros ventilabimus cornu, & in no-* <sup>7.8.</sup>  
*mine tuo (potentissimo Maria) spernemus*  
*insurgentes in nobis. Non enim in arcu meo*  
*sperabo, & gladius meus non saluabit me;*  
*saluasti enim nos de affligentibus nos, & o-*  
*dientes nos confudisti. In domina nostra lau-*  
*dabimur tota die mortalitatis huius, quæ*  
*tota militia est & tētatio, & in nomine tuo*  
*suauissimo Mariæ confitebimur in sæculum.*

CAPVT IX.

*Paradisus est & hortus celestis Sponsi,*  
*& Sponsæ.*

**A** Difficili & molesta dimicatione,  
 quæ nobis est cum carne, cum mū-  
 do, cum dæmone, animus subinde refi-  
 ciendus est, & ad spiritales vires instau-

78 DE BONO SODAL. PARTH.  
randas recreāduſ. Quem in finem com-  
paratus videtur hic Deiparæ Sodalitatis  
hortus amœniſſimus, ſacrorum vitæ Do-  
mini & Saluatoris noſtri, & Sanctiſſimæ  
Matris myſteriorum varietate, velut in  
areolas elegantiffimè partitiſ, tum plā-  
tis ac floribus virtutum omnium excul-  
tus, fructibusque pietatis affectuum o-  
mniſque copiā bonorum operum ac me-  
ritorum exuberans. Ad animi triftitiam,  
perturbationemque repellendam, nihil  
æquè valere ac myſteriorum vitæ Chri-  
ſti Domini, Sanctiſſimæque eius Matris  
commemorationem pio multorum ex-  
perimento compertum eſt, quorum  
plantaria ac roſaria myſteriorum hoc in  
horto naſcuntur, permixta, vti dixi, vir-  
tutum omnium floribus, ac pietatis affe-  
ctuum, operumque bonorum fructibus.  
Ipa cum primis Sanctiſſima Virgo cen-  
ſeri poteſt & debet hic hortus, toti acce-  
ptiſſimus Sanctiſſimæ Trinitati, ad ſum-  
mas eius Deitatis delicias comparatus,  
diuina eius manu conſitus, in quo ſit hæc  
omnis florum, fructuumque cæleſtium  
copia; de quo prædicat hortus cæleſtis  
Spon-

Sponsus: *Hortus conclusus soror mea, sponsa,* *Cant. 4. 12.*  
*hortus cōclusus*, diuinæ gratiæ custodia cir-  
 cūseptus ac munitus, vt nunquā in illum  
 irrepere potuerit inimicus anguis, nulla  
 in eum vnquā gliscere ac serperemaligna  
 fraus atq; suggestio. Bis cōclusus aduer-  
 sus vtrumq; peccati genus, & quod ori-  
 gine cōtrahitur, & quod actione, vel o-  
 missione suscipitur; fons signatus. Non  
 arefcit hic hortus, sed fonte viuo, sancti  
 Spiritus influxu iugiter irrigatur ac fœcū-  
 datur. *Emissiones tuæ paradus malorum pu-* *Cant. 4. 13.*  
*nicorum, cum pomorum fructibus*, vt intelli-  
 gas Virginis Matris beneficio Sodalita-  
 tem eius, hortum quoque esse perillu-  
 stre malorum granatorum, cum po-  
 morum fructibus. Quorū in ea sunt eius  
 clientes & alumni, tot velut eius mater-  
 nā manu consitæ sunt arbores, quas &  
 continuus diuinæ Filij gratiæ vitalibus  
 vndis irrigat, fouet, & ad fructuum v-  
 bertatem maturitatemq; perducit. E-  
 go, inquit, quasi trames aquæ immensæ,  
 de fluuio (æternæ & inexhaustæ, cuius  
 mater existit & filia, sapientiæ) quasi flu-  
 uij dioryx, & sicut aquæ ductus exiui de

paradiso. Dixi; Rigabo hortum meum  
 plantationum, & inebriabo prati mei  
 fructum. Quis hic plantationum hor-  
 tus, quis fructus eius prati potior, quàm  
 Sodalium cœtus, qui se eius honori pla-  
 nè consecrauit, qui ab ea vitam ducit, il-  
 liquè rependere totam habet in votis?  
 In quo deliciae sunt Beatæ Matris, ad quæ  
 hortum filium suum & Deum, sponsum  
 animæ suæ in Canticis inuitat: *Veniat di-*  
*lectus meus in hortum suum, & comedat fru-*  
*ctum pomorum suorum*, quæ eius gratia  
 plantauit, excoluit, & ad eam fructuum  
 suauissimorum copiam promouit. *Om-*  
*nia poma noua & vetera*, ait, *seruaui tibi di-*  
*lecte mi*. Et novos & veteres illi Sodales  
 offert, quæque ab eis rectè facta patran-  
 tur, seu intra veteris adhuc naturæ leges  
 finesque cohibita, seu nouæ ad gratiæ  
 gradum, splendoremque prouecta diui-  
 num. Omnia vult suorum clientum re-  
 ctè facta, seu naturæ, seu gratiæ finibus  
 inclusa ad vnam filij sui gloriam confer-  
 ri, eiusque vnus honori consecrari. Hos  
 alloquitur, cùm ait; *Obaudite me diuini*  
*fructus, & quasi rosa plantata super riuos a-*  
 qua-

Cant. 5. 1.

Cant. 7. 13.

Ecclesi 39.  
17.

## LIBER I. CAPVT IX. 81

quarum fructificate. Collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus eius, vt, cum certo numero repetitæ precatationis Dominicæ, salutationisq̃ue Angelicæ consuetum omni die pensum exsoluunt, vel albicantes rosas mysteriorum gaudij, vel purpureas mœtoris, vel gloriæ damascenas & aureas ore promant, ac filio deferant Sodales, veluti viua ab se conficta & exculta rosaria, vt corollas cælesti sponso & sponsæ gratissimas ea rosarum pulcherrimâ varietate contextas offerant. Rosa princeps florum habetur pulchritudine, fragrantia, suauitate, ad corollas concinnâdas aptissima, typus proinde diuinæ laudis; quæ defertur horum sacrorum commemoratione mysteriorum. His verò permisceri possunt lilia castitatis, violæ humilitatis, & hyacinthi modestiæ, heliotropium obedientiæ, narcissus paupertatis, & omnium virtutum tulipæ variegatæ. Nec deesse debent fructus pomorum omnis generis affectuum pietatis, congratulationis, compassionis, compunctionis, contritionisq̃ue de peccatis, spei & gaudij spiritualis,

D s imi-

imitationis, admirationis, amoris, & zeli  
 flagrantissimi, tum & alij fructus diuino-  
 rum actuū adorationis, oblationis, gra-  
 tiarum actionis, petitionis, obtestatio-  
 nis; qui cum hisce mysterijs demetūtur,  
 & in eorum vsurpatione frequentantur,  
 per Sanctissimam Virginem Christo Do-  
 mino Sponso sunt offerendi, quo magis  
 hoc suo delectetur horto, in eumque  
 crebrius veniens, & ipse vicissim ad eun-  
 dem Diuam matrem suam sponsam a-  
 mantissimam, & eius clientes benignè  
 inuiter, vt mihi quidem facere viderur  
 in eodem Cantico: *Veni in hortum meum  
 soror mea, sponsa, messui myrrham meam cum  
 aromatibus meis, comedi fauum cum melle  
 meo, bibi vinum meum cum lacte meo: come-  
 dite amici & bibite, & inebriamini carissi-  
 mi.* Venit in hortum Sodalitatis, quem  
 suum reputat Saluator, quia est suæ spō-  
 sæ & matris; frequens hoc in horto, hīc  
 messuit myrrham vitæ ac passionis ama-  
 rissimæ, tum flagrantissimæ charitatis  
 cæteraque virtutum aromata. Fauum itē  
 & mel, lac & vinum sacrosanctæ suæ hu-  
 manitatis, ac deitatis cæleste nectar &  
 am-

Cant. 5. 2.

ambrosiam sponsæ ac matris suæ Sodalibus apponit, & vt ad satietatem spiritalem, ad ebrietatem vsque diuinam hinc mysteriis reficiantur, exoptat. Quid enim est demessa myrrha, nisi laborum, dolorum, amaritudinum & acerbitatū, tum matris, tum filij, per omnem vitam collectus ille fasciculus, de quo gloriabatur eadem sponsa; *Fasciculus myrrha dilectus meus, inter vbera mea, proximus cordi, commorabitur?* Quid aromata nisi charitatis, humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, omniumque virtutū exempla, quæ relucet in vtriusque Matris ac Filij vita, sanctissimisque moribus, maximo nobis ad omnem vitæ rationem documēto, & ad præcipuam quamdam imitationem incitamento, myrrha pœnitentiam & mortificationem, aromata contemplationem & orationem nobis hinc demetendam insinuant? Fauus cum melle sociatus sacratissimæ eius humanitatis virgineam ceram adumbrat, quam melleæ deitatis impleuit plenitudo. Lac & vinum deitatis & humanitatis eadem illa mysteria inchoantibus

Cant. 1. 12

84 DE BONO SODAL. PARTH.

suauissimum pabulum, & facillimum  
 lactis instar, quod infantibus propina-  
 tur, & efficacissimum prouectioribus,  
 quo capiantur, & ad imitationis vsque  
 saturitatem, ebrietatemque exuberantis  
 lætitiæ suimet obliti, & à se ipsis velut  
 auocati & abducti in Deum penitus  
 transferantur. Lac & vinum fructus est  
 horum mysteriorum diuinæ gratiæ &  
 inspirationis, simul & suauissimæ & po-  
 tentissimæ, quæ vti lac delectet, vti vinū  
 inebriet, nutriat infantes, viros capiat, &  
 extra se in Deum suimet oblitos abdu-  
 cat. Igitur & sponsæ, & sponsi inuitatu:  
 Comedite amici & bibite, & inebriami-  
 ni charissimi, quibus iste cælestis obligit  
 fauor, vt in album amicorum & charis-  
 simorum relati ad hanc sacrorum my-  
 steriorum mensam conuiuæ frequentes  
 adhiberemini. Hoc in horto videre mi-  
 hi videor sacrum quoddam nemus altis-  
 simarum, odoriferarum, & ad omnem  
 fructum vberimarum arborum, quale  
 quondam nemus Abraham Patriarcha  
 plantauit in Bersabee ad inuocandum  
 nomē Dei æterni: quod interpretor pri-  
 mum

Gen. 21.

31.

mum ipsam Sanctissimam Dei Matrem Patronam nostram; tum eius beneficio Sodalitatem, in qua tot sunt ab ea plantatæ atque eductæ arbores præceræ ac frugiferæ, quot sunt eximiâ virtute præstantes Sodales. Post illa verba, quæ à Sodalitate non sunt aliena, *Et in plenitudine sanctorum detentio mea*; sic ait, *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*, supremas ipsas Angelicas mentes puritate ac sanctitate transcendens, Beata Mater, & quâdam ei tametsi valdè remotâ propinquans æmulatione, eodem certè aspirans Sodalitas. *Et quasi cypressus in monte Sion*, Patriarchas & Prophetas diuini cuiusdam odoris fragrantiam recreans. *Quasi palma exaltata sum in Cades in Engaddi*, de quâ palmâ per Saluatorem filium olim Apostoli & Martyres victoriæ suæ palmas, & nunc quoque coronas decerpent inferioris meriti Sodales mei. *Et quasi plantatio rosa in Iericho*, quâ se rosâ purpureâ Martyres, albâ virgines coronant; Sodales verò mysteriorum albas gaudij, rubras mœroris, aureas gloriæ permixtas ad virgineum sertum quoti-

Eccli 24.

16.

v. 17.

v. 18.

v.19.

tidie colligunt, tanto capiti non indecorum. *Quasi oliua speciosa in campis*, symbolum misericordiae passim in campis obuijs expositae, quae fuit in Confessores, & est in Sodales exuberantissima. Et *quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis*, qua platano latissima ac frigidissima Virginum chori propè infiniti sexus vtriusque obumbrantur, & ab aestu noxio proteguntur. *Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris, & quasi storax, & galbanus, & vngula, & gutta, & quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam, & quasi balsamum non mixtum odor meus.* Valent haec ad suffitum diuino Numini gratissimum in sacrificijs offerendum, ad serpentes, animantesque pestiferas longius arcendas, ad aegros, faucios & nauseabundos subinde Sodales curandos ac reficiendos. Cinnamomum aromatizans & balsamum iugem mentis precationem, myrrha electa sensuum & passionum, quae tamen in Virgine numquam limites rationis excessere, compressionem; cetera pigmenta omnium

v.20.

v.21.

vir-

virtutum odoratā maximè commixtionem insinuant, qua nos perfundi, atque intimè ad animæ fundum vsque condiri atque imbui vehementer cupit amantissima Mater. Denique qualis sit ipsa, qualisque Sodalitas esse debeat, alia quoque consimili declarat similitudine:

*Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & v. 22.*

*rami mei honoris & gratie. Ego quasi vitis v. 23.*

*fructificaui suauitatem odoris, & flores mei*

*fructus honoris & honestatis.* En cuiusmodi

oporteat esse Sodales, ramos honoris &

gratiæ, fructus honoris & honestatis,

tam præstanti radice, tam eximio

nemore atque horto fructus haud in-

decoros, minimèque indignos flores,

è quibus B. Matri cælestis corolla con-

texatur in æterno gloriæ regno ac do-

micilio.

CA-

## CAPVT X.

*Dei templum est, & sacrarium Virgini-  
nis Matris honori consecratum.*

**M**Irari nemo debet, si quam amat Sodalitatem Beata Mater, ornamentis suis ac prærogatiuis illustrat, in eamque suas laudes amicâ quadam cõmunicatione deriuat, aut si patronam ducemque suam Sodalitas æmulatione proximâ licet immenso quodam pòst interuallo proximâ consecrari, illique quàm minimè esse dissimilis ope diuinę gratiæ contendat. Multa sunt Deiparę symbola, quę singulari eius beneficio Sodalitati possunt accõmodari; ex quibus ea nunc selegi, quę Deum in animis nostris commorantem exhibent. Cuiusmodi sunt: Domus sapientiæ, Aula Dei, Tabernaculum fœderis, Sanctuarium Dei, Templum Domini, Sacrarium Spiritus sancti, totius Sanctissimæ Trinitatis nobile Triclinium: quę aliaque eiusmodi Deiparę Virgini antonomasticõs

con-

conuenire nemo nescit; tamen ad Sodalitatem, singulorumque Sodalium animas diuina Christi Domini gratia ac charitate exornatas traducere licebit.

Corinthios Apostolus vniuersim alloquebatur cum diceret: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum violauerit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Vos estis templum Dei viui.*

Sicut dicit Deus, *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter illos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Neque propterea quidquam Apostolus de Sanctissimæ Dei Matris prerogatiuis detrahit, quæ speciali quadam ratione Dei templum existit, augustissimumque Sanctissimæ Trinitatis triclinium, quam omnipotentia suæ virtute Pater æternus obumbrauerit, in quam Spiritus sanctus superuenerit, & se se totum infuderit, Filius in ea, atque ex ea naturam induerit humanam, eiusque ventris

1. Cor. 3.  
16. 17.

2. Cor. 6.  
16.

*Contra Hel-  
vidium.  
Serm 4. de  
Assumpt.  
Serm. de  
Christi Na-  
tiuit.*

*Serm. 144.*

*Psal. 47.  
10.*

*Psal. 45. 5.*

*Psal. 92. 5.*

*Psal. 28. 2.*

tris benedicti fructus & filius effectus  
fit, quam Templum Dominici corporis,  
Sacrarium Spiritus sancti vocat Hiero-  
nymus: insuper habitaculum Filij Dei  
Bernardus. De qua item aptissimè Cy-  
prianus: Non recesserat à venerabili pe-  
ctore Matris Spiritus sanctus ad verbum  
Gabrielis illapsus, possidebat domum  
suam, & templum quod sibi consecra-  
uerat, adornabat. Nempe, quod ait  
Chrysologus, facta est Virgo magnum  
deitatis templum, quæ erat pusillum hu-  
manitatis hospitium. De Virgine Dei  
matre illum Regij Vatis versum Eccle-  
sia longè optima interpres intelligit: *Sus-  
cepimus Deus misericordiam tuam in medio  
templi tui.* Et illum: *Sanctificauit taberna-  
culum suum Altissimus.* Item: *Domum tuam  
debet sanctitudo.* Adorate Dominum in aula  
*sanctâ eius,* vbi legimus *in atrio sancto eius.*  
Aulam Regis æterni Ambrosius & aliàs  
ait. Mirum non est præ cæteris Ioannem  
locutum fuisse diuina mysteria, cui præ-  
stò erat aula cælestium sacramentorum.  
Verè non est hîc aliud nisi domus Dei,  
& porta cæli. Quæ, si propitiâ & cupien-  
te

te clementissima matre, traducantur ad Sodalitatem, id opinor ex ipsius Deiparæ, quæ nobis eius gratiæ conciliatrix fuit, & Dei maiore gloria futurum est. Ac quemadmodum vniuersa Ecclesia sic est Christi Domini sponsa, vt tamen, & animæ singulorū eiusdem sint spōsæ, & inter eas eximia princeps vnica Diua Mater: ita de templo ratiocinandum est, Sodalitatem, singulosque Sodales esse templa similitudine quadā, vti Deipara primarium est Deitatis templum, & quæ Deiparæ quoque titulum præferāt, quæ sint eius nomini & honori dicata. Vt nulla ferè est prouincia, vrbs nulla celebrior, in quā non illustre quoddam magnificumq; Sanctissimæ Matris templum emineat, quod Dei quidem sit templum, in quo diuino Numini sacrificiū offeratur, sed in Beatæ Matris honorem exstructum, ac per eam Deo dedicatum: ita Sodalitatem vniuersim, singulosque contenderim Sodales Dei quidem esse viua templa, ab eo possessa & inhabitata, in quibus ille colatur, adoretur, laudetur, non secus atque in templis inanimatis,

matis,

matis, sed Deiparæ titulo prænotata, eius-  
 que honori ac nomini cōsecrata, ex quo  
 potissimum honorificā inscriptione di-  
 uino Numini sunt gratiora. Ipsa in Sodalitatem receptio, solemnisi huius templi  
 quædam esse videtur inauguratio ac de-  
 dicatio. quæ suis quoque constat spiri-  
 talibus ceremonijs. Nam aspersio peccatorum est deterfio, quæ fit præuia generali vitæ totius exhomologesi. Inscriptio in cinere, legum Sodalitatis à Christo Domino Pontifice in corde nouo, quod ipse dat contritum & humiliatum, impressio. Vnctio vbertas gratiæ, & suauissimæ cum Deo, cum Deipara, cum cælitibus consuetudinis vsus. Illuminatio ex copia diuinarum inspirationum, & rectè factorum, quæ Deum Patrem, & Virginem matrem glorificent, luce dimanant. Denique benedictio, tum Christi Domini, tum Sanctissimæ eius Matris adhibetur, vti signaculum, & æternæ gloriæ consecuturæ pignus, quæ & gratiam complebit, & præterita merita compensabit abundantissimè. Iam vt in veteri Salomonis templo,

plo, duplex erat altare, vt obseruat S. Au-  
 gustinus: in illo quod foris erat, cædeba-  
 tur animantium sacrificium, in isto quod  
 intus erat, thymiamatis offerebatur in-  
 censum; ita duplex Deus à nobis exigit  
 sacrificium, vnum vt casti simus corpore  
 forinsecus, cælis ac mactatis illis bru-  
 tarum cupiditatum victimis, aliud vt  
 mundo corde intrinsecus, incenso piæ  
 precationis odorato suffitu: quale sacri-  
 ficium obtulit ab ipso primitus immacu-  
 lato conceptu Sanctissima Virgo, aut  
 certè cum à parentibus in templum tri-  
 mula est deducta, corpus & animum  
 Deo consecrās, integritate virginea cor-  
 pus, animum obedientia, atque oratio-  
 nis assiduitate. Castè & piè viuentes aie-  
 bat clarissima Martyr & virgo Lucia,  
 templum sunt Spiritus sancti, castitas  
 corpus, pietas animum Deo templum  
 consecrat, illumque diuinum hospitem  
 perpetuum habere promeretur. Quid  
 loquar, inquit Ambrosius, quanta sit *Epist. 28.*  
 virginitatis gloria, quæ meruit à Christo  
 eligi, vt esset etiam corporale Dei tem-  
 plum? Diua Mater corporale, at castus  
 quis-

quisque Sodalis spirituale est Dei tem-  
 plum; vt illa corpore, ita nos animo Deū  
 excipimus inhabitatorem. Non est isti-  
 usmodi Sodalis animus obuium cuique  
 cogitationi forum, non litigiosum tribu-  
 nal, in quo molestissimæ rixæ, lites, con-  
 tentionesque perstrepant; non culina  
 vilis, in qua de cibis & obsonijs agitur;  
 non infamis popina, non prostibulum  
 & lupanar, quod fœdissimæ de honestet  
 imagines voluptatum; sed Deo deuotū,  
 illibatum, purumque templum, sacratis  
 Christi Domini, ac Sanctissimæ Matris  
 vitæ mysteriorum imaginibus depictum  
 & exornatum, viuum & animatum Dei  
 templum, in quo ille suprema latria iu-  
 giter adoreretur, victimaque Sacrosanctæ  
 humilitatis oblata placetur, laudes eius  
 concinantur, actionesque gratiarum  
 persoluantur, petitiones & obsecratio-  
 nes exaudiantur, cuius quidem beneficij  
 quod opinione nostra maius est, origo  
 & causa clementissima Mater existi-  
 mari debet. Nam quemadmodum in  
 Salomonis templum, vbi sacerdotes  
 arcam in Sanctuarium intulissent, descē-  
 dit

dit nebula, de quâ dixit Dominus vt habitaret in nebulâ, ita vt sacerdotes stare, & ministrare non possent. Impleuerat enim gloria Domini domum Domini: ita vbi Deipara verissima fœderis arca, in intimum pectoris nostri penetrare successerit, vbi in illud Sanctuarium fuerit illata, mox illud implebit Domini gloria ac præsentia, non in nebula densiore, quæ impediat ab officio, sed in clarissima luce diuinarum illustrationum, quibus ad omne virtutis opus excitemur ac dirigamur. Ad eam sanè consuetudinem cum Deo, Diua Matre cœlitibusque, quantum præsidiij Sodalitas afferat, quantam diuinis rebus vacandi præbeat opportunitatem, seclusis hominum sæculi colloquijs ac congressibus inutilibus, præscripto crebriore Sacramentorum vsu, indicta meditandi & orandi certo quodam temporis interuallo necessitate, alijsque regulis sanctissimis, haud facillè dici potest. Quare vt aliquando finiam, quod de Ecclesia Vates Isaias, id ego verè de Sodalitate dixerim: *Et tabernaculum erit in vmbra culum diei ab æstu, & in securitatem*

3. Regum 8.  
10.11.

Isaia 4.6.

¶

*& absconsionem à turbine, & à pluviâ. Tabernaculum militantium & peregrinantium ab æstu concupiscentiæ noxiæ, in absconsionem à turbine procellarum ac tentationum adolescentiæ maximè turbidarum. Denique quod Ioannes in Apocalypsi de cælesti Ierusalem, ad eiusdem peregrinantis Hierosolymæ particulam Sodalitatem accommodare licet:*

*Apoc. 21. 3. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

## CAPVT XI.

*De utilitate legum Sodalitatis, quibus eius administratio continetur.*

*2. 2. q. 93.  
a. 3.*

**D**Vplici ratione ac via cōficit S. Thomas legem omnem, modò bona sit ac iusta, nihil esse aliud quàm derivationem, & radium quendam legis æternæ. Primum participatione eius potestatis quæ necessaria est ad legem condendam, de qua Apostolus: *Omnis potestas à*

*Rom. 13. 1.*

*Deo*

Deo est. Deinde quòd id ipsum, quod à legitimo legislatore decernitur, consentiat atque congruat cum eo quod est in mente diuina fixum & constitutū. Quæ vtraque ratio egregiè conuenit in leges ac regulas Partheniæ Sodalitatis. Ac prior quidem potestatis & auctoritatis, à Deo concessæ perspicua est; cum Præposito Generali Societatis Iesu, penes quem est omnis administrandæ Sodalitatis cura, vel eius Vicario, potestas facta sit ab ipsa Apostolica Petri Sede, Romanoque Pontifice pro felici Sodalitatis statu, regimine, & directione quæcumque statuta, constitutiones, decreta, licita tamen & honesta, sacris Canonibus & Concilij Tridentini decretis minimè contraria condendi, moderandi, immutandi, reformandi: quæ postquam edita fuerint eiusdem Apostolicæ Sedis mandato, ab omnibus Sodalibus existant inuiolabiliter obseruanda. Posterior, ex ea quam Pontifex adhibet moderatione, ac restrictione, modò licita & honesta, &c. legis ratio patet, quam obseruatam esse diligentissimè non est dubium, cùm

eæ leges in Vrbe primùm editæ per pu-  
 blicos Censores, quorum id muneris est,  
 approbatæ prodierint; nec alia planè sit  
 ratio Sodalitatis administrandæ, quàm  
 ea quam sibi Deus, cui Virginis honos ac  
 cultus præcipuè cordi est, iam ab ipsa  
 æternitate præstituerit. Cùm certum sit  
 nullam sine certis legibus constitui ac  
 conseruari posse Remp. cùm nulla socie-  
 tas, nullusque hominum cœtus coale-  
 scere queat, nisi & certum sibi finè præ-  
 scribat, & quæ ad eum consequendum  
 conferant honestarum actionum adiu-  
 menta, legumque adsciscat munimenta;  
 haud est obscurum, ad Sodalitatem sta-  
 biliendam necessarias fuisse leges, quæ  
 ad cultum pietatis aduersus sanctam  
 Matrem tuendæ & augendæ conduce-  
 rent, & essent cum æterna Dei mente ac  
 lege quàm maximè congruentes. Si iure  
 celebratur illa S. Pachomij Regula, ad  
 eum ab Angelo delata, atque inde nun-  
 cupatur Angelica, quæ cœnobiticæ vitæ  
 describebantur instituta; iure quoque  
 Sodalitatis leges, vt à B. Virgine Matre  
 profectæ, eius cultus & honoris institu-  
 tæ

tæ causâ, ab eaque dictatæ & inspiratæ, in summo erunt habendæ pretio, Partheniæque ac Virgineæ censebuntur. Id sibi dictû quisq; Sodalis reputet, quod est in Prouerbiis: *Audi fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Et rursus: *Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Ait igitur Diua Mater cuique Sodali: *Audi fili mi, & accipe consilium intellectus, & ne abijcias consilium meum.* Habent enim eæ leges consilij magis quàm præcepti vim, cum nullam grauioris culpæ necessitatem imponât. Monita sunt saluberrima, quæ D. Mater in animis nostris inseuit, de cuius in nos pietate idē existimare par est, quod de Monica matre sua prædicat Augustinus: Præcepta vitæ, quæ in animo plantauerat verbo, rigabat lachrymis, alebat exemplis. *Inijce pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collû tuum.* Gloriosum est à Deipara Virgine esse cõpeditum: nam compedes eæ, torques sunt velut illustrissimi cuiuspiam ordinis notæ. *Subiice collum tuum, & porta illam,*

Prou. 1. 2.

c. 6. v. 20.

Eccli. 6. 24.

Lib. 2. Confession.

v. 25.

v. 26.

*& ne acedieris vinculis eius. Est & Virginis  
Matris onus leue, iugumque suaue, vin-  
cula expetenda suauiaque, sed amanti. In*

*Vers. 27. &  
28.*

*omni animo tuo accede ad illam, & in omni  
virtute tua conserua vias eius: inuestiga illa,  
& manifestabitur tibi, seu beatam matrem,  
seu illius legem, & continens factus non de-  
relinquas eam. In nouissimis enim inuenies re-  
quiem in ea, & conuertetur tibi in oblectatio-*

*v. 29.*

*nem. O quantum solatium gaudiumque  
morituro Sodali leges omnes ad vngue  
accuratissime seruauisse! Consuetudo  
consuetudine vincitur, altera autem na-  
tura est consuetudo, assuescendum igitur  
semper optimis institutis, quæ etsi initio  
tristia difficiliaque videantur, mox eua-  
dent ipso vsu dulcia ac iucunda, & in na-  
turam propè alteram conuertentur. Et  
erunt tibi compedes illius in protectio-  
nem fortitudinis, & bases virtutis, &  
torques illius in stolam gloriæ; decore  
nim vitæ est in illa, & vincula illius alli-  
gatura salutis, stolam gloriæ indues eam,  
& coronam gratulationis superpones ti-  
bi. Quid à me dici possit vberius ad com-  
mendationem legum Sodalitatis? Si lan-*

*guidus*

guidus es ac saucius, erunt tibi decor vi-  
 gorque vitæ, & alligatura salutis; si fer-  
 uidus spiritu, & ad Dei & Virginis Matris  
 obsequium optimè comparatus, gloriæ  
 stola, & gratulationis diadema. Vel refe-  
 ramus hunc versum ad alteram beatam  
 vitam, priorem huic ærumnosæ vitæ cō-  
 modemus. Quam vim habet aphorismi  
 medicorum, ad tuendam reparandamq;  
 sanitatem, quam est opportunus in lōga  
 & dubia peregrinatione descriptus ac-  
 curatè viarum omnium index, quam est  
 opificibus in opere struendo vtilis & ne-  
 cessaria regula & amussis; eandem vim  
 habent istæ leges Partheniæ, tamque  
 sunt opportunæ ac necessariæ Sodali, si  
 velit omnem animi sui morbum languo-  
 remq; percurare, si in Virginis obsequio  
 sanus vegetusq; magnis itineribus ad ab-  
 solutam primùm diuinæ charitatis per-  
 fectionem, tum ad cælestem supremam-  
 que patriam contendere, singulasq; vir-  
 tutum exercitationes quo oportet ordi-  
 ne, sine ac modo ad Dei, Diuæq; Matris  
 obire gloriam elaboret. Vt nobiles pu-  
 ellæ speculum è cinctu gerunt appēsū,

vt, si quis exoriatur in vultu næuus, aut  
 extra normam exeat capillus, mox ad-  
 hibito speculo corrigant ac detergāt; ita  
 Sodalibus hoc legum speculum de ma-  
 nibus numquam deponendum est, sed  
 ad illud mores suos componere, actio-  
 nesq; omnes aptare ac discriminare de-  
 bent, quò in omni vitæ progressu omni-  
 que die Christo Domino, Beatæq; Ma-  
 tri gratiores euadant. Ex hisce legibus  
 discimus, quis aduersus supremum Dei  
 Numen religionis ac patriæ cultus adhi-  
 bendus sit, quænam adoratio deferēda,  
 quæ erga Sanctissimam Dei Matrem pie-  
 tas hyperdulix, quæ cæteris cælitibus  
 obseruantia & dulia præstanda, tū qui-  
 bus officijs proximos demereri nos o-  
 porteat beneficentiæ, & misericordiæ tū  
 spiritualis, tū corporalis, operibus, qua  
 aduersus eos iustitiæ charitatisque ratio  
 perpetuò retinenda; quæ deniq; in nos  
 ipsos abstinentiæ, continentiæ, paciētiæ,  
 pœnitentiæ, cæterarumque virtutū mo-  
 deratio decernenda. Cùm duæ sint par-  
 tes iustitiæ Christianæ, vt declines à ma-  
 lo, & facias bonum, vitia fugias, virtutes  
 secte-

secteris, ne cuiquam officias, & omnibus commodes; ad vtrumque munus harū legum obseruatio valet, ex quā & fuga vitiorum, & virtutum exercitatio, & meritum vberima seges, exoritur: neque modò vti Decalogus, & cetera Dei, matrisque Ecclesiæ præcepta facilius obseruentur, efficit; sed & compendiosam quandam exhibet semitam, quā haud difficulter adeatur ad summū Christianæ perfectionis apicem. Quod in auibus pennæ, in curribus rotæ, in nauibus vela & antennæ, hoc ad Decalogum, diuināque legem istæ Partheniæ superadditæ, vt in omni virtutis perfectionisque studio cursus expeditior velociorque existat, neque desit vnumquam, in quo tuam exercites pietatē (semper enim aliquod vel aduersus Deum, Diuinamque Matrem, aut aduersus proximos viuos aut vita functos pietatis officium præscribunt) & quo simul ingentes cælestis gloriæ meritum aceruos adaugeas. Ea certè via est multorum iam vestigijs trita ac consignata, qua Beata Mater clientes suos ad cæleste filij regnum securo ac iucun-

*Psal. 118. 1.*

do tramite traducit. Quæ constanter insistenda est, nec ad dextram, nec ad sinistram declinandum, magnaque Beatæ Mariæ hoc eius legum beneficio semper habenda gratia. *Beati immaculati in via, qui ambulat in lege Domine nostræ, canereque ei possunt ex animo gratulantes, gratiasque agentes, psalmum illum CXVIII. suavissimum, & pietatis sensu refertissimum, non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt, &c.*

## CAPUT XII.

*De Patris directoris ope spiritali minimè negligenda.*

**P**Ræter eum, quem cuique Deus homini tutelarem attribuit Angelum, alium præterea Partheniæ Sodalitati præsidè custodemque à clementissima Domina procuratum, cuius curæ ac fidei tum Sodales singuli, tum ipsa Sodalitas vniuersa concredita sit, haud difficulter assentietur, qui ceteris hominum piorum cœtibus atque conuentibus Angelum aliquem Dei munere præesse non dubitabit.

rit. Nempe aduersus hostes inuisibiles, quorum & numerus ingens, & vis potestasque maxima, ni Deus eam cohiberet, & doli fraudesque innumeræ, odij verò in nos rabies efferata, non vnus modò, sed omnino plurimum Angelorum custodia ac tutela communiendi fuimus. Aduersus illorum plura machinamenta, plura quoque præsidia comparanda fuere; complures cælitus aduocandæ Beatarum mentium auxiliatrices copix, ad illorum vel fraudes artesque detegendas, vel ad vim impugnationemque propulsandam. Sed quoniam, quæ naturæ nostræ deprauatæ summa est ærumna, sanctorum Angelorum frequenter salutaribus audiendis exequendisque monitis segniores sumus; hostes verò nostri, tametsi suo Marte potentissimi, tamen hominibus impijs suæ nequitix potissimum vtuntur administris, & externarum rerum blandimenta atque ad peccandum irritamenta suggerunt; ea propter optima Mater ad suorum Sodalium præsidium censuit opus esse præterea quodam externo visibili que An-

gelo custode, homine Angelico, spiritalis vitæ duce ac magistro, qui præiret illis in vita spiritali, qui perfectionis iter primus insisteret, idque suis monitis & exemplis demonstraret, à quo de omni ratione virtutis ac perfectionis instituerentur, ad eandemque subinde illius hortatu commoverentur & excitarentur, ad quem in omni discrimine, & maligni hostis impugnatione confugerent, solatiaque & subsidia spiritalia reciperent, quem haberent spiritalis loco parentis, Doctoris, Medici, Consiliarij, amicique fidissimi & integerrimi, cui sese totos aperirent, quem in omni re dubia consulerent, nihil suorum animi morborum ac perturbationum latere vellent, cuius in sinum res omnes in omni suæ salutis negotio molestas æquè ac secundas effunderent, breuiter quasi submissum à Beata Matre tutelarem Angelum haberent, cuius ope præsidioque niterentur. Hic est ille amicus fidelis, & animæ consiliarius optimus, quem Sapiens

*Eccli 6. 6.  
& quatuor  
seq.*

*tantopere commendat: Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille. Amicus*

*cus*

*cus fidelis protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum inuenient illum. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam secundum illam erit amicus illius. Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam, ab hoc nempe spiritali magistro ac direttore, qui tibi prouidentissimæ Matris obtigit beneficio. Quasi is qui arat & v. 19. seminatur, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius: in opere enim ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius. Nō potest mentis nostræ tellus excoli sapientiæ semente, nisi qui illam iaciat, peritus adsit agricola, qui & serendi & metēdi tempus norit opportunum. Qui ignari sunt locorum cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt, inquit Ambrosius: æqualium vltus dulcior, at senum tutior. Quemadmodum Raphaël Archangelus iuniori Tobix comes à Deo datus deduxit & reduxit illum incolumem, ab*

1. Offic. 43.

108 DE BONO SODAL. PARTH.  
immanis deuoratione piscis eripuit, Sa-  
ramque illi coniugem opulentissimam,  
optimeque moratam conciliauit, deni-  
que patris Tobiae senioris oculos ape-  
ruit, omnibusque bonis domum eam  
cumulauit: ita tibi datus ab optima Ma-  
tre director ac dux vitae spiritualis. si con-  
siliium eius ductumque sequaris, per hu-  
ius saeculi vias impeditas, obscuras, an-  
fractuofas, multis obsessas praedonibus,  
tutum incolumemque deducet, tum ab  
eiusdem saeculi concupiscentia (quam  
piscis ille adumbrabat, quae plurimos  
quotidie absorbet & immergit orco)  
tuebitur, teque mundum istum fallacem  
exeterare & euiscerare interius, omnino  
detracta larua ac pelle externa faciet per-  
spicere, ut deprehenso quod inuolutum  
tegit amaritudinis felle tuae mentis illu-  
minentur oculi; denique ad sapientiae  
connubium te perducet, per quam om-  
ni bonorum ac meritorum copia locu-  
pleteris, quae tibi summo sit honori, so-  
lacio ac gaudio: nam eius conuersatio  
non habet amaritudinem, nec taedium  
conuictus illius, sed gaudium & exulta-  
tio-

tionem. Præter Archangelum Gabrielem, quem Sacratissimæ Virginis tutelarem fuisse credunt, non abnuuit illa duas suæ custodes ac testes integritatis, sanctum Ioseph ante virgineum partum Saluatoris, & à morte filij Ioannem discipulum. cuius vtriusuis loco directorem suum ab amantissima sibi Matre consignatum commendatumque existimare potest ac debet Parthenius Sodalis, & de eo quam par est optimæ Matri gratiam habere ac referre. Sanè, vt sunt hæc tempora deprauata, moresque corrupti, quasi Loth iustum de Sodomis, ita plurimos adolescentes de mundi conflagrantis incendio mihi videtur per hosce terrestres angelos Sodalitatis suæ directores, eripere velle Domina Nostra: quorum proinde salubre monitum defigendum est altius, & animo memori circumferendum; *Salua animam tuam, noli respicere* *Genes. 19.*  
*post tergum, nec stes in omni circà regione, sed* <sup>17.</sup>  
*in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.*  
 Præclarè Climacus, Qui cupit ab Ægypto liberari, & Pharaonis euadere minas, atque per eremum ad promissionis

pertingere terram, duce opus habet Mo-  
 se, qui ducat eum, & oret pro eo, sicque  
 hostium multitudinem, & reges potētes,  
 quibus vndique oppugnatur, euadat ac  
 superet. Esto non desit emigraturis ab  
 Ægypto, neq; interdium columna nubis,  
 ab æstu protegens, viamque signans, ne-  
 que noctu ignis ardens & collucens, ipsa  
 Sanctissima Virgo in prosperis aduersis-  
 que futura præsidio ac solatio; tamē duce  
 opus est Mose aut Iosue, qui primus ipse  
 certamē ineat, nec intermittat supplices  
 ad Deum manus tollere, dum nobis est  
 cum Amalecitis hostibus decertandum,  
 qui in terram denique promissam felici-  
 ter introducat. Hic certus fixusque Dei  
 mos est, vt homines ab hominibus insti-  
 tuti malit, quàm vel à se, vel ab Angelis e-  
 rudiri, charitatis imprimis exercendæ, tū  
 humilitatis retinendæ causa, atque vt hic  
 naturæ nostræ honos habeatur. Quas ra-  
 tiones persequitur S. Augustinus prolo-  
 go libri de doctrina Christiana, vbi Cor-  
 nelij Centurionis, qui iussus accersere  
 D. Petrum, & Apostoli Pauli, qui missus  
 est ad Ananiam, exempla recensuit: Ab-  
 iecta,

iecta, inquit, esset humana cōditio, si per  
 homines hominibus verbum suū Deus  
 ministrare nolle videretur. Quomodo  
 enim verum esset quod dictum est: *Tem-*  
*plum Dei sanctum est, quod estis vos,* si de hu- I. Cor. 3. 17.  
 mano templo responsa non redderet, &  
 totum quod discendum hominibus tra-  
 di veller, de cælo, & per Angelos perso-  
 naret? Deinde ipsa charitas, quæ sibi inui-  
 cem homines nodo vnitatis adstringit,  
 non haberet aditum refundendorum, &  
 quasi miscendorum sibimet animorum.  
 Quæ sanè postrema ratio longè est opti-  
 ma, ac simul obiter insinuat, quo sit ad-  
 eundus animo director, quaque ille pa-  
 terna charitate, aut (quando Dei Matris  
 vices gerit) materna, & plusquam mater-  
 na charitate, cura ac prouidētia sibi cre-  
 ditos Sodales complecti debeat: quorum  
 si est auctoritate pater, at affectu mater  
 semper existet, illud identidem Apostoli  
 versans animo: *Filioli quos iterum partu-*  
*rio, donec formetur in vobis Christus.* Sed  
 non id agimus, vt directorem institua-  
 mus, aut sui commonefaciamus officij.

## CAPVT XIII.

*De obedientia Praefecto Sodalitatis cæterisq; eius administris deferenda.*

*Lib. 14. de  
Civit. c. 14.  
Lib. 35.  
Mor. c. 12.*

*2. 2. q. 186.  
a. 5. ad 5.*

**C**Vius virtutis amantissima, perq; omnem vitam obseruantissima fuit D. Mater obedientiæ, eius suis exercendæ cultoribus materiam amplam, meritumq; frequens deesse noluit. Cùm ea virtus in creatura rationali mater omniũ custosq; virtutum ab Augustino censeatur, quæ auctore Gregorio virtutes ceteras menti inserit, insertaq; custodit. Nihil est homini arbitrij libertate charius, nihil propria voluntate potius & pretiosius, eam tamen charitatis mucrone truncatam, aut eiusdem flammis incensam, in holocaustum diuino Numini offert obedientia; cùm ad eius honorem hominis illam subdit imperio, ex alieno que pendet & viuit arbitrato. Quare disertè docet S. Thomas, nihil hominem posse Deo maius dare, quàm quòd propriam voluntatem propter ipsum alterius

LIBER I. CAPVT XIII. II;

terius voluntati subijciat, idque ex eo quem iam produxi D. Gregor. confirmari potest: qui longè altioris ait esse meriti apud Deum, propriam voluntatem alienę subiicere voluntati, quàm aut crebris magnisque ieiunijs corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare: quia qui perfectè præceptoris sui voluntatem implere didicit, in caelesti regno & abstinentibus & flentibus excellit. Cuius & illud est vulgatū c. i. Regum: *Melior est obedientia quàm victima.* Per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur. Cùm perfecta est suisque expleta partibus & numeris obedientia, tres præcipuè gradus, tresque præclaras notas ac conditiones amplectitur, tum omnes quoque vires animi corporisque in diuinum obsequium impendit. Tres gradus sunt, vnus iudicij, alter voluntatis, tertius executionis, si non modò impleas quod iuberis, sed idem cum Superiore velis & sentias: tres conditiones ac notę, Celeritas, Hilaritas, Stabilitas, seu Promptitudo, Deuotio, Perseuerantia. Promptu-

*lib. 2. in*

*1. Reg. c. 2.*

*Lib. ult.*

*Moral. c. 12*

ptitudo & celeritas in executione perspicitur, hilaritas & deuotio in voluntate, firmitas & perseuerantia ex intellectus promanat obedientia. Etenim ille tertius gradus executionis infimus est, vixque obedientiæ nomine dignus, nisi nitatur utroque priore, ab eoque laudè meritumque mutuetur. Medius voluntatis instabilis & imbecillis est futurus, nisi à iudicij & intellectus conformatione nascatur & confirmetur. Præcipuus hic obedientiæ gradus, eius absolutione & firmitatem continet. Et quamquam

*Epist. de  
Obedientia.*

tertius nominatur à B. P. Ignatio, spectata imbecillitate naturæ nostræ, tamquam postremus ac difficillimus acquiritur, tamen si naturæ rectè institutæ spectes ordinem, hic primus obedientiæ iudicij gradus existat oportet, cum à cogitatione omnis animi corporisque motus oriatur, cum ex iudicio rationis suum voluntas accomodat assensum, huiusque demum imperio vires externæ ad exequendum opus applicantur. Ut autem illum supremum obedientiæ gradum adipiscamur, illa vna eximia est ratio ne tam

ex-

externis oculis Præsidem hominem qui nobis imperat, quàm internis animi ac fidei Deum, cuius ille vices gerit, cuius imperat nomine, semper intueamur. Nō cuiusmodi ille sit Præpositus noster, sed cuius personam sustineat attendamus, neque nos homini mortali, qui & fallere & falli queat; sed in homine Deo immortali, cuius nec sapientia falli, nec bonitas fallere potest, cuius certissima regimur prouidentia, obedientiam deferre reputemus. Ut magnus Antonius Christum in Paulo reueritus, quasi Christum in Paulo videns, & in eius pectore Deum venerans, vltra respondere nihil ausus: ita nos in maioribus nostris Deum præsentem audire, & venerari conuenit. Ac quoniam hæc obedientia Partheniorum Virg. Matris honoris causa deferretur Præfecto Sodalitatis, ceterisq; eius delectis administris (sine quibus acephala, cōfusa, & sine ordine, suis minimè certis distincta ac colligata membris foret Sodalitas: ut in corpore caput vigere, ac cetera regere membra; sic in omni cœtu ac conuentu summum aliquem esse magistratum

*Hieron. in  
vita Pauli.*

stratum oportet) exploratum est, in iis D. Matrem oculis interioribus contuendam, cui, & ob quam iis præstatur obedientia. Eorum voces omnes & iussa sic excipienda quasi ab ipsa D. Matre emanarēt, quasi in ijs D. Matrem audiremus mandata sua proferentem. Nam certè sunt illius interpretes voluntatis atque internuntij, qui sunt eius vice Sodalitatis suæ Præsides & administri. Itaque dictum illis existimemus à D. Matre: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Siue Deus, siue homo Dei vicarius mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. Verè Bernardus, & ego verè quoque dixerim, *Siue Dei Mater, siue Dei Matris vicarius & locum tenens mandatum aliquod imposuerit, pari profus studio est exequendum; nisi verò maius etiam adhibendum est studium vbi plus in sese superando submittendoq; difficultatis inest ac cōtentionis; quoniam vt est ista laboriosior ac difficilior obedientia, quæ ob D. Ma-*

tris

*Bernard.  
de præcept.  
& dispens.*

tris honorem homini mortali, quã quæ ipsimet D. Matri suomet ore præcipienti deferretur; ita & maioris est apud Deũ meriti, maiore pensanda præmio, maior-que ad Virginem redit honos, dum eius causã æquali nos homini subiicimus, quàm si ab ipsa proximè iussa ac mandata subiremus. Quas verò pariat vtilitates obedientia, quas virtutes secum aduehat atque contineat, fidem, patientiam, humilitatem, fortitudinem, constãtiam, charitatem (quæ in hac nostra quæ homini defertur, quàm in altera cumulatioribus existunt) quàm expetendum sit rebus in omnibus Dei ac D. Matris exequi voluntatẽ, quod præstatur obedientiã, dicerem nisi nota essent ac peruulgata. Id satis habeo dicere, inobedientes Euę infelicis primæ parentis, aut magis nouerçæ quàm matris, quæ prima in mundum inobedienciæ crimen inuexit, curiosiùs de præcepti à Deo impositi causa cum serpẽte sermocinata, *Cur præcepit vobis Deus, &c.* germanas esse proles, inquietas, curiosas, anxias, perturbatorum & ærumnarum plenas; hinc illæ lacrymæ,

Gen. 3.1.

*Gregor. c. 2.  
in 1. Reg. c. 2.*

crymæ, hinc omne malum, & totius ruina nostræ radix & origo. At obedientes, qui iussa capeſſunt aliena, nihil inquirentes obſequendi ſtudio (neſcit enim iudicare nec inquirere qui perfectè didicit obedire) germani ſunt filij Virg. Mariæ Dei Matris, quæ Gabrielis Archangeli dictis obſequendo mater effecta eſt ſaluatoris, cùm ſe profiteretur ancillã, huius ipſius obedientiæ Deo deferendæ ſummo incēſa deſiderio, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundū verbū tuum. quam eandem obedientiam in omni ſemper vita coluit atque uſurpauit ſanctiſſimè; ſiue cùm à prima infantia pueritiaque ſuis parentibus eſt obſecuta, ſiue cùm trimula in templum deducta Sacerdotibus, pijsque matronis, quarum curæ & inſtitutioni eſt tradita, obediit, ſiue cùm Moſaicæ legis præſcriptis, quibus ob filij dignitatem minimè aſtringebatur, ſeſe ſubmiſit, ſiue cùm Ioseph ſponſo, quem Angelus de rebus agendis inſtruebat, obtemperauit accuratiſſimè; ad illud intuens ſaluatoris exemplar abſolutiſſimum, quod nobis uehementer  
in

in oculis atque intimo versari pectore percuperet, qui subditus erat illis, & factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. pro obedientia non dubitauit mori, & ne obedientiam perderet perdidit vitam, vti scitè Bernardus. Quã Saluatoris & D. Matris obediẽtiam qui cum ope diuinæ gratiæ, quoad eorum pars vitilistulerit, imitati fuerint, maxima sanè pace ac tranquillitate perfruentur, ac propè in illum pristinum optatissimũque deperditæ innocentiaẽ statum restituentur. Penè præterieram insignem quandam quam obedientia parit vtilitatem; nimirum quòd obedientes in ea quæ solet adolescentiæ ac iuuentuti periculosissima ac molestissima carnis esse pugna, superiores ac victores euadant. Vir obediens loquetur victorias, de ipsis per inobedientiam è cælo præcipitatis Angelis; sed maximè de carne hoste domestico omnium hostium infensissimo. libidinis vitium facilè ab eo superari qui suis maioribus didicerit obtemperare. docent Bernardus & Augustinus. Agnosce ordinem, quære pacem. Tu Deo, tibi caro,

Philip. 2. 8.

De gradib.

humil. c. 2.

Ad milites  
templi c. 13.Prov 27.  
28.In psalm.  
143.

caro. quid iustius? quid pulchrius? tu maior, minor tibi: serui tu ei qui fecit te, ut & tibi seruiat quod factum est propter te. Non est hic ordo, tibi caro, tu Deo; sed tu Deo, & tibi caro: si contemnis tu Deum, numquam subijcietur tibi caro.

*Serm. 1. in  
festo SS. O.*

hæc Augustinus. At Bernardus: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: hanc ego terram corpus nostrum intelligo: quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa mitis & Superiori suo subiecta, quoniam tale inueniet inferius suum, qualem se exhibuerit Superiori.

#### C A P V T X I V .

*De utilitate Confessionis generalis,  
quæ Sodalitati ineunda præmittitur.*

**T**Am est ingens bonum sempiterna felicitas Beatorum, tam ingens malum extrema miseria damnatorum, ut, si ex omni hominum multitudine vnus dumtaxat quispiam certò denuntiaretur illo cariturus summo bono, & in hoc summum ruiturus malum, nemo non magno-

## LIBER I. CAPVT XIV. 121

magnopere reformidare deberet; ne ille ipse is esset vnus hominum infortunatissimus à beatorum secludendus cœtu, & in orcum damnatorum demergendus. Nunc cùm sit exploratum paucos esse qui saluentur, arctam esse viam quæ ducit ad vitam, paucissimos qui per eam gradientur, latam quæ ducit ad interitum hominum turbis confertissimam; quis non miretur eo salutari metu tam parum nos commoueri, de quæ sempiterna salute tam parum esse sollicitos? An non plerique sic vitam agunt, quasi de futura felicitate certissimam Dei sponsonem teneant, non audeo dicere quasi ex eorum sententia cum corpore simul intereat animus, omniaque pariter extinguantur? At qui certa sibi fide persuadet, apud supremum Dei Iudicis incorrupti tribunal, totius antea actæ vitæ rationes accuratissimè reddendas, de omnibus factis, dictis, cogitatis, prætermisissis, susceptis actionibus subeundam sibi quæstionem, accusante cacodæmone, teste & coarguente conscientia, Deo iudice, quem nihil latere potest, nihil infle-

F

ctere

Et ere ab æquitatis rigore, ad quem tum  
 iudex erit implicitus, antegresso miseri-  
 cordiæ tempore; is nisi maturè sibi pro-  
 spiciat, diuinamque propitiare nitatur  
 tanto antè clementiam, haud sanus esse  
 iudicandus est. Cùm modò pateant di-  
 uinæ misericordiæ fontes, perfacilisque  
 sit ratio promerendæ peccatorum indul-  
 gentiæ, vsurpato pœnitentiæ Sacramen-  
 to; si quis negligat, & imparatum se con-  
 ijciat in illud extremum tempus, quod  
 sibi totum diuinæ iustitiæ rigor vindica-  
 bit, vt mitissimè dicam, imprudentissi-  
 mus est. Quæ cùm ita sint, non multis o-  
 pus est ad demonstrandam confessionis  
 generalis vtilitatem, aut rectiùs dixerim  
 necessitatem, cùm tanti referat ad eum  
 supremum diem, qui nos diuino silet  
 tribunali, & cùm minimè credimus in-  
 cautos opprimet, expurgatas omni cri-  
 mine conscientias afferre; cùm planè  
 expediat, ac necesse sit expeditas nos  
 semper habere & explicatas totius vitæ  
 nostræ rationes: quod tamen sine obten-  
 ta diuina condonatione & indulgentia  
 fieri omnino non potest. Cogitet sibi  
 quis-

quisque supremum hunc illuxisse diem,  
 mortem certè quæ omnibus horis &  
 momentis, omnibusque locis impēdet,  
 quæ passim incogitantes ex insidijs ado-  
 ritur, haud abesse longiùs; cumq; suum  
 illa dirissimum telum & inuitabile in  
 eum intendarit, non tum maximè exo-  
 ptaturus sit accuratissima sese perfun-  
 ctum esse confessione generali? Clemē-  
 tissimæ Dei Matri quotidie supplica-  
 mus, adsit nobis in hora mortis propi-  
 tiã: sed æquissimum est ad eam nos mor-  
 tis horam haud segniter comparemus,  
 quod nostrarum est partiũ exequamur,  
 in procuranda conscientia puritate, quã  
 occurrenti morti confidenter, velut im-  
 penetrabile scutum opponamus: stimu-  
 lus enim mortis est peccatũ, quod obie-  
 cta retunditur innocentia; innocentiam  
 verò si quid efficere potest, vna potest di-  
 ligenter obita confessio generalis, si for-  
 tè priores vel errore aliquo, vel ignoran-  
 tia, vel negligentia quæ nõ sit expers cul-  
 pæ, fuissent irritæ ac vanæ, sine diuinæ  
 gratiæ remissionisque peccatorum expe-  
 tito fructu. Veniat nobis in mentem cæ-

124 DE BONO SODAL. PARTH.  
lestis illa sodalitas, quæ cum Regina  
nostra in filij Saluatoris & Beatorum em-  
pyreo domicilio regnat ac triumphat, ac  
quam hæc nostra terrestris adspirat: ete-  
nim vna eadem est militans ac triūphans  
Sodalitas. nec ego dubitarim, quin qui  
in Dei Matris cultu societatem hinc inie-  
runt in terris, eandem conseruent ac re-  
tineant in cælis, auctam ac remunerati-  
spirituali cum Dei Matre necessitudine,  
ac consuetudinis vsu singulari gaudio et  
eius cōspectu atque colloquio cumula-  
tam. Ad eam igitur si beatam sodalita-  
tē aspiramus, vt inter eos censeamur qui  
in cælis eximiè letaturi, sibiq; gratulari  
ri, & gratias acturi D. Matri, illam à  
cultam & obseruatam in terris, quis la-  
bor recusandus est? quæ non exorbens  
molestia? quæ non adhibenda cōtentio  
vt puros & castos animos generali ex-  
piatos cōfessione, ad extremū vitæ die  
conferamus? quæ vnica ratio est ad cele-  
stem in eūdā sodalitatē. Accedit, hæc  
etiā in vita nihil pace, quiete ac trāqui-  
litate conscientiæ optabilius esse; ad quod  
quantum momenti habeat confessio g-

net

neralis, exploratum est. Vt in externis bonis sanitas supremū est & maximè expetendum corporis bonum, sic in internis pax & tranquillitas animæ, de qua diuinus Sapiens; *Salus animæ in sanctitate iustitiæ, melior est omni auro & argento, & corpus validum, quàm census immensus. Non est census super censum salutis corporis;* (qui census patrimonium est pauperum ex D. August. sententia) *& non est oblectamentū super cordis gaudium: quod sanè obrinet, qui est pacata & tranquilla conscientia. Melior est mors quàm vita amara, cū à seipsa discrepat, seq; ipsam diuexat exagitatque conscientia; & requies aterna, quæ comparatur innocentia, quā languor perseuerans exedente mentem, scrupulorumque aculeis confodiente cōscientia. Omnes dies pauperis mali & laboriosi, secura mens quasi iuge conuiuium. nam, vt scitè Ambrosius, Quis puritate pectoris dulcior fructus? quis cibus suauior, quàm is quē animus benè sibi conscij & mens innocentis epulatur? Preclare item Plutarch. Vt nepenthes herba ab Homero prædicata addita poculis om-*

*Eccl. 30.  
v. 15. & 16.  
& 17.*

*In psal. 35.*

*Plutarch.  
in Moralib.*

nem conuiuij tristitiam discutit, ita bona mens indita nobis omnem vitæ sollicitudinem abolet. Cui rectè cum Deo & se- cum conuenit, qui ne mortem quidem ipsam magnopere refugit ac reformidat, qui, cum Deo visum erit, paratus est emigrare, velut de statione sic de vita discedere, is mihi iam propè beatus videatur. Magna igitur vis est confessionis generalis, quæ & mortis metum adimat, & vitæ tranquillitatem afferat. Sunt & alia

*In Exer. de  
confessionis  
generalis &  
communio-  
nis vsu.*

eiusdem utilitates præcipuæ à B. P. Ignatio, qui illius vsum cum minimè vigeret, induxit, in Exercitiorum libello commemoratæ. Vna, quòd, tametsi qui singulis saltem annis ritè confitetur, ad eam generalem minimè astringatur, tamen, si illam peragat, longè plus commodi & meriti sit habiturus, ob vehementiam doloris de peccatis, quem totius vitæ peccata simul congesta cõficiunt: ex eorum enim omnium sub vnum velut aspectû collectione acrior ac vehemētior existat contritio necesse est: simul & maior summet ingeritur erubescencia, cõfusio, despicientia, angor animi, quæ ad meritum

au

augendū, animumque à peccato expurgandum longè plurimū possunt. Altera, quòd eorundem criminum ac scelerum, quæ reperita confessione generali simul omnia explicantur, malitia ac turpitudine detegatur apertius, vt in posterum tempus tãto impensius fugienda atque abominanda decernantur. semper se simulatae virtutis aut excusationis alicuius larua contegunt peccata, semper iis siue primū admittendis, siue iam admissis addita solet esse comes ignorantia, qua depulsa aut diminuta, ipsorum per se apparet fœditas execranda. Tertia, consentaneum est hominem ita rite confessum multò ad S. Eucharistiae Sacramentum animo rectius esse dispositum, quæ & ipsa per se S. Eucharistia, & ad peccati fugam, & ad gratiae receptae conseruationem augmentumque longè plurimum confert. multum valet Eucharistia, vt loquuntur Theologi, ex opere operato, vi sua; sed plurimum quoque ex opere operantis, prout recipientis animus ritè dispositus ac comparatus fuerit. Possent ex rationes singulae pluri-

bus amplificari, nisi & breuitati consu-  
lendum esset, & lectorum ingenijs mi-  
nimè diffidendum.

## CAPVT XV.

*De frequentando Pœnitentiæ Sacra-  
mento.*

*Esther 10.  
v. 6.*

**E**sther, quæ Reginæ nostræ figuram  
prætulit, visa est in somnis Mardo-  
chæo, veluti fons paruus qui creuit in flu-  
uium maximum, & in aquas plurimas redun-  
dauit, imò & in lucem solemq; conuersus est.  
Liceat mihi nunc eum fontem interpre-  
tari purissimum ac defæcatissimum Dei-  
paræ cruoris liquorem, quem efforman-  
do Filij Dei corpusculo, in aluo sua inte-  
merata suppeditauit, cum obumbrante  
Patre cælesti, superueniente Spiritu san-  
cto, ipse Deus Filius, intra eius viscera, ex  
eo fonte corpus sibi membris omnibus  
organisque distinctum adaptauit, ani-  
maque nobilissima informatum, diuinæ  
personæ copulauit. Tum exiguus ille  
fons, Deiparæ cruor, in lucem solemque  
deitatis conuersus est, ab ea sanctifica-  
tus ac deificatus, & ad diuinæ hyposta-  
seos

seos societatem euectus. Tum & in fluuium maximum, aquasque plurimas redundauit, in gratiarum fluenta, meritorumque per Sacramenta à Christo Domino instituta, in mortales largissimam profusionem; in flumina Baptismi, ac Pœnitentiæ, ceterorumque Sacramentorum, quibus & ab omni peccatorum sorde maculaque repurgamur, & diuinarum æquè veritatum vti solis clarissima luce collustramur, vt hîc illud Dauidis experti, maxime comprobemus: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Hic ille fons est, de quo Zachar. Vates, *In illa die erit fons patēs domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in* *Cap. 13. 1.* *ablutionem peccatoris & menstruata.* Alter à Baptismo fons est Pœnitentiæ Sacramentum, à Christo Domino institutum merito eius cruoris, quem à Sanctissima Matre primitus hausit, dum ex eo sibi corpus effinxit quod nostræ salutis ac redemptionis causâ dirissimis tormentis, & atrocissimæ morti crucis obiecit, dumque eum vniuersum sanguinem cum vita profudit, quem nobis in

Ecclesia, & Sodalitate, domo David spiritali, quotidie per Sacramentorum almeos impertit atque communicat; hunc ipsum cruorem B. Mater in salutem nostram Augustissimæ Trinitari sæpè litavit atque obtulit, ardentissima nostri charitate, cum maximè ad crucis filij morientis pedem assisteret, isque de manibus ac pedibus, postque latere demortui distillaret diuinus cruor, eum nobis salutarem euenire bene precata est. Ac sæpè aliàs in omni vita & opere redemptionis, quod Saluator ex omni rigore iustitiæ, merito quod vocant de condigno, perficiebat, ipsa vt clientibus suis illud impertiretur re ipsa, & vberè cum gratiarum copia, summo quodam merito congruo atque impetratorio procurauit. Quare, vt ceteri redemptionis Christi fructus, sic & Pœnitentiæ, reliquorumque institutio Sacramentorum ad Deiparam quoque secundum filium, in re quodam optimo referri potest, cum præsertim auctoritas omnis, valor & potestas, effectusque Sacramentorum, ex hac diuini cruoris, quem Saluator à Virgine

gine

gine Matre mutuatus est, prima veluti  
 fcaruriginē dimanarit. Patet igitur hic  
 fons pœnitentiæ, domui David, hoc est  
 familiæ Sodalitatiq; Deiparæ, quæ decus  
 est & ornamentum stirpis Davidicæ; &  
 habitantibus Ierusalem, Sodalibus paca-  
 tæ tranquillæque conscientia: quorum  
 tamen iustitiæ non possunt non multis  
 respergi maculis, non multis non inqui-  
 nari sordibus aduentitijs, cùm sint tam-  
 quam pannus menstruata. Ecquis enim  
 ex hoc sæculi luto ac cœno sordes non  
 contrahat? ecquis assidua contrectatio-  
 ne verset picem, & non inquinetur ab  
 ea? itaque quotidiano propè egemus la-  
 uacro pœnitenti. Sed Virginis Matris  
 Saluatorisq; eius filij beneficio patet  
 hic nobis fons pœnitentiæ, cuius nō mo-  
 dō summam præbet Sodalitas opportu-  
 nitatem, sed eius crebrò frequentandi  
 suis necessitatem legibus imponit. Sanè  
 quoties ad sacrum hoc pœnitentiæ tri-  
 bunal nos sistimus, ita cum animis no-  
 stris reputare debemus, quasi ad pretio-  
 sissimū diuini Saluatoris balneum cruo-  
 ris accederemus, ad immergendas in eo

fœda peccati lepra coopertas animas  
 nostras, ad eas ægras letifero concupi-  
 scientiæ languore percurandas, ad eas-  
 dem egentissimas, Christi meritorum in-  
 finito thesauro locupletandas & exor-  
 nandas. Aut si quis hoc diuerso genere  
 contemplationis magis oblectatur, per-  
 suadeat sibi sacerdotem, qui vice Chri-  
 sti fungitur, qui personam eius sustinet,  
 hoc in munere dum ex formula sacra  
 profert absolutionis verba, animam  
 suam respergere diuino Christi cruore,  
 quasi de manu sacerdotis in suū caput di-  
 uinus is stillaret cruor, qui de B. Matris,  
 vti dixi, fontibus profluxit, & ab ea sum-  
 ptus diuinæ Verbi hypostaseos in creatura  
 sanctitate sanctificatus, omnem sanctifi-  
 candarum animarum vim habet ac po-  
 testatem. Mihi Pœnitentiæ Sacramētum  
 videri solet illa piscina probatica, quam  
 S. Ioannes describit quinque porticus ha-  
 bens, in quibus iacebat multitudo ma-  
 gna lāguentium, cæcorum, claudorum,  
 aridorum, expectantium aquæ motum.  
 Verū illic vnus dumtaxat ex omni nu-  
 mero curabatur, hīc quotquot in eam  
 Chri-

Cap. 5. 1.

Christi meritorum sese immergunt piscinam Pœnitentiæ, sanitatem cōsequuntur. Nec expectandus, certo tempore rarissimus motus aquæ per Angelum, qui nō quoties ægri vellent, sed quoties Deo collubitum esset, ad eam commouēdam è cælo descenderet; cū semper ad audiendos ægros pœnitentes confideant expositi terrestres Angeli, Christi vicarij Pœnitentiæ administri, ipsisque eis præstò semper assistat summus Angelus noui testamenti, suam eis diuinam virtutem impertiens. Est verò piscina probatica, quòd ex Agni qui tollit peccata mundi, profuso sanguine vim eam salutarem sortiatur, quinque porticus habens, vel è quinque corporis sacratissimis plagis seu fontibus gratia profluente, constans, vel quinque præcipuarum exercitatione virtutum, fidei, spei, charitatis, humilitatis, pœnitentiæ seu iustitiæ, quibus ægri sese ad sanitatem comparent: fidei, qua datã Ecclesiæ clauium indulgēdi peccata potestatem certissimè credant; spei, de consequenda venia si culpam agnoueris, cū apud cetera tribu-

nalia confessio rei certa sit prerogativa  
 damnationis; charitatis, in elicienda cō-  
 tritione, & dolore ob Deum offensum  
 vehementissimo; humilitatis, ad homi-  
 nis mortalis pedes sese abijciendo, eiq;  
 sese totum aperiendo; iustitiæ & pœni-  
 tentiæ, satisfaciendo dum aduersum se  
 reus actoris quoque & accusatoris, imò  
 & testis, adeoque & licitoris carnificisq;  
 partes agit, dum à semetipso pœnas exi-  
 git, & suum in se crimen haud mediocri  
 sponte suscepta vindicat austeritate pœ-  
 nitiæ. Qui sanè fructus eximij Sacra-  
 menti Pœnitiæ, ad illud frequentan-  
 dum incitare nos magnopere debent.  
 Inambulandum nobis crebrius in hisce  
 sacris porticibus, vt sanitatem animæ  
 perfectam è probatica Christi sanguinis  
 piscina consequamur. Sunt & alij pœni-  
 tentiæ frequentius vsurpatæ fructus sin-  
 gulares quos indicat Apostolus: Regnum  
 Dei, quod nempe pœnitentibus pro-  
 mittitur, *iustitia pax, & gaudium in Spi-  
 ritu sancto.* iustitia in gratia sanctificatio-  
 nis, quæ semper augetur, infusa & aucta  
 Dei charitate, cæteri que virtutibus que  
 illam

Rom 14.  
 27.

illam

illam comitantur, cui sempiternæ gloriæ merces ex æquo est responsura. pax vti præmium victoriæ, quam de se quis, tribusq; hostibus capitalibus, peccato quod penitus extinxit, cacodæmone quem fugauit, passione ac perturbatione quam sedauit, & in rationis gyrum egit, confitens gloriosè retulit. gaudiū, quod propitiato diuino Numine cōscientiaq; tranquillata nanciscitur. de quo Dauid: *Au- Psal. 50.*  
*ditui meo dabis gaudium,* vbi formula ab-  
 solutionis insonuerit, & *exultabunt ossa*  
*humiliata,* quæ peccati pōdere velut op-  
 pressa, pœnitentiæ merito exfufcitata re-  
 uiuiscunt ac reflorescunt. Igitur *benedic Psal. 102.*  
*anima mea Domino,* & *Dominæ meæ San- v. 1.*  
 ctissimæ Matri, cui secundū filium  
 ascribi debet hoc beneficium, & *omnia*  
*quæ intra me sunt nomini sancto eius,* Iesu  
 diuinissimo, & suauissimo Mariæ. *Benedic v. 2.*  
*anima mea Domino,* & *noli obliuisci omnes re-*  
*tributiones eius,* optimi vtriusque salutis  
 tuæ parentis, qui per hoc Sacramentum v. 3.  
*propitiatur omnibus iniquitatibus tuis,* non  
 modò cōfessis, sed & obliuione præter-  
 itis; si culpa grauior non intercesserit.

Quis

Qui sanat omnes infirmitates tuas, vitiorum languores, prauarum consuetudinū non planè obductas cicatrices, sinistrarum affectionum prurientes adhuc reliquias.

v. 4.

Qui redimit de interitu vitam tuam, sempiternæ mortis ac damnationis interitu, quem secum peccati culpa trahit. Qui coronat te in misericordia & miserationibus, dum suppetias fert ad victoriam de tēta-

v. 5.

tionibus referendam, ad cōstantiam tenendam, & perseuerantiam in rectè factis ac meritis, quibus repēdenda est cælestis gloriæ corona iustitiæ. Qui replet in bonis desiderium tuum, in bonis gratiæ, charitatis, virtutum, solationum ac gaudiorum spiritualium. Renouabitur vt aquila iuuentus tua, depositis exuijs Adami veteris in Christum nouum hominem transformatus in nouitate vitæ, ad Christi Domini & Sanctissimæ Matris perfectam virtutum imitationem, & beatam aliquando societatem, velut diuinarum harum aquilarum generosus pullus euolabis.

## CAPVT XVI.

*De Sacrosancto Eucharistia Sacramento.*

**E**Xpiatos Pœnitentiæ Sacramēto So-  
 dales D. Mater ad Sacrosanctæ mē-  
 sam Eucharistiæ benignissimè prouocat.  
*Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, Eccli. 24.*  
 qui mihi quodā arctiore necessitudinis 26.  
 vinculo cupitis illigari, & specialis mihi  
 cultus deferendi desiderio tenemini; &  
 à generationibus meis adimplemini, benedi-  
 cto fructu ventris mei, filio meo, quem  
 ex me genui, vice multorum vnico, &  
 per quem vos mihi estis adoptione filij,  
 quem sacra vobis exhibet Eucharistiæ  
 mensa, satiamini. Generationes quoque  
 suas appellat Deipara, diuinas filij sui  
 virtutes, gratias, satisfactiones, thesauros  
 meritorum, moresque imprimis inno-  
 centissimos & sanctissimos, quos diui-  
 nus hic cibus in nos transfundit. Nata  
 ab educatione plurimùm indoles pen-  
 det, & vt in corporibus vsu venit, quæ  
 ci-

ciborum sensim qualitates induunt, ita & in animis qui diuina pascuntur Eucharistia, diuinas Christi virtutes inseri atque ingenerari necesse est. Tum prolixior hæc eadem inuitatio est apud Sapientem in Prouerbijs, *Sapientia ædificauit sibi domum, &c.* Sapientiam hîc intelligamus Sapientiæ Matrem, quæ non tam virgo sapiens ac prudens, quàm ipsa sapientia ac prudentia dicenda est, idea ipsa sapientiæ & virtutis omnis, si quæ posset ex Platoniorum dogmate seiuncta consistere. *Ædificauit sibi domum*, lectissimorum Sodalium familiam, cōclauæ, triclinium Sodalitatis, & cuiusque animæ Sodalium, tribus lectis instratum memoriæ, intellectus & voluntatis. *Excidit columnas septem*, quàm plurimis illud spiritale triclinium virtutibus stabiliiuit, aut sancti Spiritus donis septem exornauit. *Immolauit victimas suas*, seu, vt legit Tertull. *sophia iugulauit filios suos*, duplicem victimam, duplicemque filium in sacrificium obtulit; Salvatorem imprimis filium Deum, tum & animam suam, corque proprium, semetipsam, cum filio ad-

Exo. 9. 1.

v. 2.

adstitit morienti, eidem, illius cruci, cō-  
 passione confixa. *Miscuit vinum*, mera-  
 cum diuinitatis aqua diluit humanitatis,  
 ne capitibus noceret & stomachis imbe-  
 cillioribus. *Proposuit mensam* Eucharisti-  
 cam, mensam virgineam, optimis qui-  
 busque cibis abundantem, mensam a-  
 nimatam panum propositionis, dapife-  
 ram mēsam, deliciarum Dei, purissimam  
 (inquam) mensam, imputribilem auro  
 charitatis vndique tectam, panes sacræ  
 Christi humanitatis exhibentem; super  
 quos thus lucidissimum adorandæ dei-  
 tatis sit impositum, quæ mēsa nunquam  
 deficit, nunquam exhauritur. *Misit ancil-*  
*las suas*, Præconum Euangelij sanctas a-  
 nimas, beatas ipsas mentes Angelicas;  
*vocarent ad arcem & mœnia ciuitatis* huius  
 suæ Partheniæ Sodalitatis. *Si quis est par-*  
*uulus* innocentia vitæ magis quàm ætate,  
*veniat ad me* matrem suam, amat illa par-  
 uulos innoxie adhuc ætatis, & si spectes  
 rerum experiētiam, insipientes, qui nō-  
 dum habeant sæculi negotiorum vsum,  
 nondum illa pestifera fallaci que sint im-  
 butifcientia. hos puros adhuc animos  
 ad

Exo. 25. 30.

Leuit. 24.

6.

v. 3.

v. 4.

v.5.

Athana l.  
Serm. de  
SS. Domi-  
na nostra.

ad Eucharisticam inuitat mensam: *Venite, comedite panem meum*, panem Angelorum, panem vitæ & intellectus, quo maximè egent iuuenes, vitæ, ne maturiùs excedant; intellectus, vt ignorationem exuant, quæ inexperientiæ comes esse solet. Hæc ipsa mulier Euāgelica est, quæ farinæ colligens fata tria, triplicem deitatis, animæ, ac carnis substātiā, vt interpretatur Bernardus, fide pariter fermentauit, in cuius sacri ventris spiritali & intellectuali clibano, vt loquitur, sancti Spiritus igne superueniēte coctus est hic panis Angelorum, quo hominum corda confortantur. panē, quem de longè nobis apportauit nauis institoris cælestis, quòd infinito quodam interuallo deitas ab humanitate distans, in virginalis eius vteri thalamo sociata sit, vt ex vtraque coalesceret hic panis vitæ, quem in Bethleem domo panis palām ederet, ac suis Sodalibus conuiuis vescendum apponeret. *Bibite vinum quod miscui vobis*, deitatis vinum, aqua dilutum humanitatis, aut pretiosum filij mei cruorem, copiosissimis meis permixtum lacrymis, siue

siue cū illum in nouissima cœna profundere, in cruenta ratione, siue cū de cruce pendens litaret eundem cruento sacrificio, illic amoris lacrymis, hîc doloris, aut vtrobique plurimi doloris & amoris ardentissimi. Vocat hoc Sacramentum S. Thomas diuinæ donationis complementum, qua Pater æternus v-nigenitum suum, & ipse Filius semetipsum auctore Spiritu sancto dedit in humanæ redemptionis pretium, in nostræ salutis hostiam cruentam, in ara crucis immolandam; cuius vti fructus in animos nostros deriuaretur, accessit & hæc altera donatio veluti prioris cumulus & complementum in sacrificium hoc & Sacramentum, quo & offerretur incruetè, & in spiritale nobis cederet alimentum. Cū igitur & à Virgine Matre profecta sit eadē donatio, qua Patris cælestis & filij Saluatoris volūtatī suā & ipsa voluntatē adiunxit, illum que suum communem filium, qui verè suus erat, in sua potestate, nostri ardens obtulit charitate; hoc eiusdem donationis complementum ab illius ardenti charitate

mi-

*Opuscul. de  
Sacramēto  
altaris.*

minimè fuit alienum. Aut cùm duplex  
 ea donatio fuerit, Patris & filij Saluato-  
 ris, duplex quoque fuerit Deiparæ, qua  
 dupliciter illum immolarit, & cùm in in-  
 cruentum, tum in cruentum obtulit sa-  
 crificium, non sine lacrymarum maxima  
 copia, quam filij diuinus & nostri sum-  
 mus amor eliciebat. Virginem, inquit  
 Epiph. appello velut sacerdotem pariter  
 & altare, quæ quidem mensam ferens,  
 dedit nobis cælestem panem in remissio-  
 nem peccatorum. Ritè igitur ad Eucha-  
 risticum epulum, vti suum, suos inuitat  
 Sodales, & quod est apud Zachariam  
 illi conuenit; *Quod enim est bonum, & quod  
 pulchrum eius, nisi frumentum electorum, &  
 vinum germinans virgines?* Nihil habet  
 omnino præstantius D. Mater, nihil pul-  
 chrius, nihil melius, nihil ad salutem  
 nostram accommodatius, nihil suauius,  
 quàm hoc augustissimum filij corpus in  
 Eucharistia delitescens, quod sua pul-  
 chritudine mentem ad se rapiat, & diui-  
 na quadam oblectatione suspendat, vo-  
 luntatem verò sua inflammer atque ab-  
 sorbeat bonitate. Hæc abditus latet spe-  
 cio-

*Serm. de  
 laudibus  
 virg.*

Zach. 9 17

ciosus forma præ filijs hominum, Virgi-  
 nis filius, Deus homo, saluator; hîc pul-  
 cherrima caro virginea, immortalitatis  
 ac gloriæ dotibus exornata; hîc anima  
 creaturarum omnium præcellentissima,  
 in qua sunt omnes thesauri sapientiæ ac  
 scientiæ Dei, virtutum atque gratiarum  
 absque mensura cûmuli; hîc sanguis v-  
 niuersus humanæ pretium redemptio-  
 nis, tâta cum acerbitate doloris, & amo-  
 ris suauitate profusus; hîc deitas & cor-  
 pori & sanguini sub vtraque specie, ar-  
 ctissimo diuinæ Verbi hypostaseos nexu  
 copulata delitescit. Ad quam vtramque  
 speciem Sacramenti designandam, Dei-  
 paræ primariæ sponsæ in Canticis acci-  
 nitur; *Venter tuus sicut aceruus tritici, val-  
 latus lilys, vmbilicus tuus sicut crater torna-  
 tilis, numquam indigens poculis.* Exoticæ vi-  
 deantur istæ similitudines, sed sunt à Dei  
 spiritu profectæ, perquam accommoda-  
 tæ. Vmbilicus assimilatus crateri rotun-  
 do & tornatili, sphæricæ figuræ maximè  
 capaci, vndique circumciso & elabora-  
 to, numquam indigenti poculis, semper  
 pleno & exuberanti, qui nequeat ex-  
 hau-

Cant. 7. 2.

D. Ambr.

de institut.

virg. c. 14.

hauriri, vim & copiam diuinæ gratiæ, &  
 purissimæ castitatis, quam Deipara sem-  
 per Ecclesiæ ac Sodalitati subministra-  
 bit per filium, in sacra Eucharistia desi-  
 gnat. Ab umbilico nutrimentum trahit  
 infans, sub eoque latet ac regitur, mater-  
 no clausus utero : ita Deiparæ cultores  
 inde maximè pascuntur & oblectantur.  
 Eiusdem haustu crateris confirmantur  
 sodalitates, & coniurationes quoq; con-  
 solidantur, vt olim haustu sanguinis Ca-  
 tilinaria : at nostra hæc ad diripiendum  
 regnum cælorum, ad peccati tyranni-  
 dem euertendam, haustu huius diuini  
 crateris, quem D. Mater apparauit. Vt  
 autem grauidæ mulieris nonnihil intu-  
 mescit uterus, & aceruum exprimit triti-  
 ci: ita B. Mater innuitur, quæ utero acce-  
 pit intemerato granum frumenti, quod  
 cadens in terram attulit ceterisimum fru-  
 ctum fidelium electorum, qui frumen-  
 to, vt reprobi paleis, indicantur. Dicitur  
 hic uterus vallatus lilijs ob castitatis ex-  
 cellentiam, qua cultores eius efflo-  
 rescunt, quamque ex hoc potissimum  
 diuinissimo Sacramento sortiuntur. Sed

vttrum-

vtrumque hunc locum pluribus explicat  
 Ambrosius. hæc autem, quæ vereor ne  
 pluscula sint, à me dicuntur, vt quoties  
 ad sacrae Eucharistiæ Sacramētum adie-  
 rint Sodales, meminerint eam suæ Do-  
 minæ ac Patronæ mēsam esse; ab ea sup-  
 peditari diuinum hunc panem, quo a-  
 luntur ad immortalitatem; Virginis esse  
 carnem illam quæ est filij Saluatoris,  
 quam qui ederit non morietur, sed viuet  
 in æternum; Virginis esse diuinum cruo-  
 rem quo potantur, & spiritaliter inebri-  
 antur; hunc eius esse filium Deum bene-  
 dictum fructum ventris eius, quem sa-  
 cris obuelatum speciebus in animæ pa-  
 bulum accipiunt. Quòd si verissimè Sal-  
 uator dixit, *Qui manducat meam carnem,* Ioan 6 57.  
*& bibit meum sanguinem, in me manet, &*  
*ego in eo;* si dignè communicantes vnus  
 cum eo spiritus efficiuntur, quid ni &  
 eosdem agglutinari per filium B. Matri  
 dixeris, in eaque illos affectu filiorum, &  
 virginem vicissim matrem in ijs animo  
 plusquam materno commorari? Extat  
 in sacra B. P. Ignatij quadam Ephemeri-  
 de pia meditatio, qua se plurimùm scri-  
 bit

G

bit

bit oblectatum, cum cogitaret filium & Matrem vnā esse carnem & sanguinē, aut certē filium esse quandam matris portionem (Sic enim tradidit Aristoteles: Est filius pars ipsius patris, vel matris, & aliā quemadmodum membrum parentis est filius, imō idem ipse.) quare se in Eucharistia non solū Christi, sed etiam Mariæ partem suscipere, indeque fieri aiebat, vt, quicumque dignē corpore Domini & sanguine reficiuntur, non solū vna cum Christo Domino caro fiant, sed etiam in vnā cum Deipara Virgine carnem migrent. nam quæ sunt vni tertio identica, inter se quoque identitatem contrahunt: si Virgo vna est cum Christo caro, qui Christum recipit, cum Virgine quoque carne cōmunicat. Auctor est præstans Theologus, substantiam carnis, quam è Maria matre Christus assumpsit, numquam omnino fuisse dimissam, neque natiui caloris actione continua resolutam, sed eandem Verbo Dei vnitam semper atque integrè fuisse conseruatam: quod tum ex temperatissimo cibo, quo Dominus utebatur, tum

1. Magnorū  
Moral. c. 34

Suarez. 10-  
mo 2. 3. par.  
disp. 2. sect.  
2.

ex

ex speciali eiusdem prouidentia, ac certa voluntate factum esse concludit. Vt ut sit, potior est spiritus, quàm carnis coniunctio, nihilque magis optandum nobis, quàm & filio per matrem, & matri per filium intimæ charitatis arctissima copulatione connecti ac cohærere; ut & in matre, & filio eius simus, & ipsi in nobis, ut aliqua simus pars & portio huius vtriusque nostri parentis, membra mystici eorum corporis, illorum animata spiritu, & ardenti eis charitate connexa. Magno se credunt affectos à Dei Matre munere, ut re ipsa magnum est munus, quibus contigit, uti per imaginariam visionem ipsa se cum puero Iesu coràm sisteret, illisquæ diuinum suum infantem fruendum porrigeret; magno planè gaudio tum illi sunt perfusi, quod D. Francisco, B. Stanislao Kostka, alijsquæ cõtigit; magno & olim munere diuinitus cumuati sunt, maximisquæ gaudijs exultarunt S. Simeon, Anna Prophetissa, quotquot fideles Deiparæ Virginis interfuere purificationi, ex eiusquæ brachijs infantem Deum in suas vlnas acceperunt, qui tam

charum pignus suo pectori propius ad-  
 mouerunt. At si quis æqua lance penset  
 hoc diuinum Eucharistiæ beneficium, &  
 cum illo utroque componat, haud esse  
 inferius, sed etiam eminere comperiet, si  
 viuam modò fidem, ardentemque affe-  
 rat charitatem. Cùm tibi sacerdos sacrã  
 porrigit Eucharistiã, à D. Matre, per eius  
 manus, filium tibi in vlnas tradi ac con-  
 signari cogita, quò animæ tuæ dilecto  
 perfruaris intimè, eumq; brachiis amo-  
 ris arctissimè stringas, præcordijsque tuis  
 penitiùs inseras & includas. Magna fuit  
 eiusdè optimæ Matris aduersus quosdã  
 suos clientes indulgentia ac beneficentia,  
 cùm de sua quapiam imagine, lactis stile-  
 las aliquot ac guttas instillauit, vt D. Ber-  
 nardo Spiræ memorãt euenisse; sed quid  
 ad hoc beneficium, quo tibi filij sui cor-  
 pus, sanguinem, animam, deitatem in ci-  
 bum indulget, veluti lac deitatis æternæ  
 que sapientiæ, per carnis & humanitatis  
 aut sacratarum specierũ vbera profun-  
 dit: de quibus vberibus, Ecclesia gratulã-  
 lans, ait, *Meliora sunt vbera tuavino, fragran-  
 tia vnguentis optimis. Ut quod ex vberibus*

*Cant. I. I.*

materno lac fugit, infans non videt, ita  
 sacris coniecta speciebus Eucharistia nō  
 perspicitur, sed cui vinū doctrinæ sæcu-  
 li comparari nequeat, nec debeat: nam  
 etsi delectat inspectum, tamen potatum  
 amentat. Aut verò Verbum æternum,  
 quod erat apud Patrem, cibus Angelorū,  
 per Virginem Matrem vti nutricem tra-  
 iectum, paruulorum lac effectū est: qua  
 de re frequenter S. August. Quas igitur  
 gratias, & Saluatori filio, & clementissi-  
 mæ Matri, de beneficio hoc beneficiorū  
 maximo referemus? An non ad Beatissi-  
 mam nos quoque matrem, cū ab hac  
 diuina mensa recedimus, gratulantes &  
 gratias agentes, præeunte S. Elisabeth ex-  
 clamare par est? *Benedicta tu in mulieribus,*  
*& benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc*  
*mibi, vt veniat mater Domini mei ad me?*  
*Beata quæ credidisti,* quæ non sicut Eua in-  
 credula & inobsequens fructū mortis,  
 toxiconque porrexit, sed cibum vitæ &  
 pharmacum immortalitatis nobis affers,  
 benedictum fructum ventris tui, quo  
 primæui peccati abolita est maledictio,  
 mors extincta, vita restituta; ex quo om-

*Vide Cano-  
 nem in  
 psalm. 33.*

*Luc. 1. 42*

*v. 43.*

nis in humanum genus gratiarum benedictio promanauit. An non cum illa minime vulgari de vulgo muliere, sancta ut ferunt, Marcella, Martha pedisse quae conclamandum nobis est, ac Deipara gratulandum, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quae suxisti?* Beata viscera Mariae Virginis, quae portauerunt aeterni Patris filium; & beata vbera quae lactauerunt Christum Dominum? Tum verò eiusdem D. Matris opem in hac mensa dignè, & cum animi magno sensu vberè quae fructus frequentanda, feruenti prece nos conuenit implorare, ab ea quae quis sit optimus eiusdem mensae modus, ediscere. Non est dubium quin à Christi Dominum in caelos ascensu glorioso, uti tum morerat Ecclesiae primitiuae, sacris operante Ioanne, quotidie illa diuinum hunc panem vitae de eius manu susceperit, exemplo filij Saluatoris, qui cum illud instituit Sacramentum, primus ipse sumpsit. Sed quae pietate! quo feruore charitatis quo exultantis animi sensu! Quis suspicionem consequatur, ut tum anima eius beata magnificaret Dominum suum, &

exu

Luc. II.  
v. 27.

la  
vi

z.

exultarit spiritus eius in Deo salutari suo? Non secus ac cum primùm ab Archangelo salutata, & de incarnatione Verbi diuini in se & ex se peragenda, commonefacta est; promptæ suæ ac deuotæ voluntatis assensum attulit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*; ita deinceps in omni vita, cum illud idem æternũ Verbum carnem factum in animæ suæ cibum sumpsit, totã sese diuino Numini in holocaustũ flammis amoris immolabat. Quæ nobis, quoad nostra fert imbecillitas, æmulanda foret deuotio, & ad omnem Dei nutum expeditæ voluntatis oblatio. *Domine quid me vis facere? Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum;* *Psal. 56 8.* *Quid retribuam Domino, eiusque optimæ Matri de tanto hoc beneficio? Etsi milles vniuersum sanguinem cum vita profundam, tamen nec referendæ, nec cogitandæ quidem gratiæ par fuero. Etsi omni genere officiorum gratissimus esse contendam, tamen ingratus moriar oportet, cum hæc ipsa potissimùm ad gratiarum actionem instituta, qua præcipuè nobis vtendum eo fine, diuina Eucharistia,*

152 DE BONO SODAL. PARTH.  
stia, noua sit eiusdem infiniti beneficii,  
cuius opprimimur magnitudine, repeti-  
tio & accessio. *Parasti in dulcedine tua  
pauperi Deus.*

*Psal. 67.  
11.*

C A P V T XVII.

*De prima cuiusque mensis Dominica,  
festis diebus Christi Domini &  
Sanctissima Matris, eximio cultu  
pietatis obeundis.*

*Luc 8.*

**I**ubent Sodalitatis leges, vt prima qua-  
que Dominica mensis, festis item die-  
bus Domini nostri, & Sanctissimæ Ma-  
tris solennibus, natali Christi die, Circū-  
cisionis, Resurrectionis, Ascensionis,  
Pentecostes, & Corporis Domini, die  
immaculatæ Conceptioni B. Virginis sa-  
cro, item eiusdem Natali, & Annuntia-  
tionis festo, die Purificationis, & Assum-  
ptionis, die Natali aut S. Ioānis Baptistæ,  
aut SS. Apostolorum Petri & Pauli, de-  
nique Sanctorum omnium solenni, So-  
dales Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacra-  
menta percipiant. quæ sanè concelebrā-  
di

di festos dies optima ratio est, in diuinorum vsurpatione Sacramentorum, cum ad Dei gloriam Deiparæque laudem, tū ad spiritalem nostram vtilitatem accommodatissima. Quod ad primam cuiusque mensis attinet Dominicam, adaptari illi possit, quod est apud psalmographum, *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestrae.* Quemadmodum consueverant Hebræi neomenias aucto sacrificiorum numero celebrare, diuinorumque memoriam vsurpare beneficiorum, eius præsertim continui perennisque beneficij, quod à prouidentia & gubernatione diuina promanat, totius anni decursu, quem Hebræi lunæ decursu præcipuè metiebantur: ad eum modum Sodales, quo profusorem in se diuinæ clementiæ ac beneficentiæ fructum experiuntur, per Virginem Matrem, quæ fuit eius beneficentiæ conciliatrix; eo magis illam cum omni sensu pietatis, & exultantis animi gaudio celebrare conuenit, suamque deprædicare Patronam, Euangelicæ gratiæ lunam, quæ laudatur in Canticis, *pulchra vt luna*, cuius inter-

Psal. 80. 4.

G s uentu

uentu diuina nos regit, atque omni bonorum auget genere prouidentia. Pro certo habent Astrologi solis vim, & aliorum planetarum influxus, à luna prius excipi, excepto s̄que in terram dimitti, ut nihil è cælo in terram boni decidat influxus, quod non luna temperet ac moderetur. luna sol alter non incongruè dicitur, inquit, quòd quæ sol superius vi masculina generat, hæc quasi vi feminina contemperata fœrum suscipiens, terris mandat atque communicat. Quare tametsi solis aliorumque astrorum rationem habeant, tamen motum cursumque lunæ ad crises potissimum obseruant: inde temporum mutationes, medicamentorum tradendorum, plantandi, serendi, ligna secandi, atque id genus plurium rerum oportunitates captant atque definiunt. Quò spectet hæc oratio, perspicuum est, à Deipara, virtutum omnium ac gratiarum lucem, diuinæque gratiæ influxum à Christo filio Salvatore, velut sole, mutuatum benignè terris refundi ac communicari; animis in quibus nostris terrestribus, quibus commiseratione,

*Georg. Venerus harmon. mundi cent. 1. l. 4. c. 38.*

## LIBER I. CAPVT XVII. ISS

tionem, veluti luna situ propinquior est, contemperatam gratiæ lucem infundit, quin & aliorum Sãctorum, quibus velut astris cælum ornatur, imploratas à nobis deprecationes per eam optato potissimum effectu non carere; omnia planè quæ cælitus nobis indulgentur bona, à Christo capite per SS. Virginem veluti spiritale collum mystici corporis indulgeri, quia sic est voluntas eius qui nos totum habere voluit per Mariam. Ea maximè consultata, secunda ac propitia, quoduis opus pietatis aggrediendum, eius auspicijs inchoanda ac prosequenda quæ fuerint ad Dei gloriam, animarumque bonum semel capta consilia. Cùm omnem gratiæ & auxiliij spiritualis influxum media Virgine, seu luna ad nos deferri nouerimus; imperitissimi simus, si quidpiam aggrediamur, nisi priùs illà placatâ, ac supplici prece vel alio virtutis obsequio conciliatâ. Ac commodè sub cuiusque mensis exordium, quidquid eius decursu vel agendum, vel omitrendum decerneretur, virtutis omnia ac perfectionis innouata proposita, Christo Domino per

Bernard.  
serm. de  
Natiuit.

Virginem Matrem offerentur; sub sacrâ præcipuè Synaxim, cùm ardere solet animus diuina charitate succensus. quò fortè spectauit S. August. cùm ait hanc nouæ lunæ celebrationem, nouam creaturam quæ per Christum futura est prænuntiasse.

19. contra  
Faustum  
cap. 10.

Gen. 1. 14.  
15.

Quod verò pertinet ad festos dies Christi Domini, & Sanctissimæ Matris, ne à proposita similitudine longiùs abeamus. *Creauit Deus duo luminaria magna, vt essent in signa, & tempora, dies, & annos, vt lucerent super terram, & præessent diei & nocti.* Non est obscurum, & iam est à me dictum, quæ duo sint hæc Ecclesiæ suprema luminaria, Christus Dominus, & Sanctissima eius Virgo Mater, Sol & Luna; & ille quidem præcipuè iustos illuminans atque illustrans inter diu, hæc etiam noctu peccatores in tenebris, ad emendationis vitæ lucem prouocās. Horum vtriusque festorum certa per intervalla distinctus Ecclesiasticus annus euoluitur. quòd in Zodiaco sunt Astrologorum conficta signa, per quæ sol annuo decursu varias efficit anni tempestates, hoc

hoc in Ecclesiastico sunt anno , variæ Christi Domini & Sanctissimæ eius parentis festiuitates. Vt suos repetunt cursus sol & luna , renouatiq̄ue menses & anni redeunt, atque à capite retexuntur, vt iterum fluant ; ita quotannis vniuersa nostræ redemptionis œconomia, viraq̄ue ac res gestæ Christi Domini, Sanctissimæq̄ue eius matris , per eos festos dies, aptissimo quodam ordine digestæ reuocantur in memoriam, ac nouo semper celebrandæ sensu pietatis offeruntur.

Inter feriatos dies, quibus, auctoritate ac præcepto matris Ecclesiæ, cessandum sit ab omni strepitu iudiciorum, Deiparæ festiuitates annumerari, habemus expressum Extrauag. de ferijs Gregor. IX. cap. vlt. his verbis; Et dies festiuitatum omnium Virginis gloriosæ. In quod caput , Canonum interpretes, ac speciatim Panormitanus aduertit; festiuitates Virginis , quæ sint in præcepto, præcipuè quatuor esse, in quatuor anni tempora distributas ; Annuntiationem incunte vere , Assumptionem adulta

iam æstate , Natiuitatem in autumno,  
 Purificationem hieme prouecta cele-  
 brandam. Quæ sunt, inquit Hostiensis,  
 ad modum lapidum pretiosorum, qui-  
 bus anni corona contexitur & ornatur;  
 de quo verissimè dixeris anno: *Benedices  
 corone anni benignitatis tue.* Sunt autem  
 his diebus festiuis alij adiungendi, quos  
 vniuersa iam Ecclesia propè pari cele-  
 brat apparatu; Conceptionis immacu-  
 latae, Sanctorumque omnium, qui lege  
 Sodalitatis recensitus est, & à S. Antoni-  
 no inter festiuitates D. Matris colloca-  
 tur, quòd à Bonifacio IV. primitus in ho-  
 norem B. Mariæ ad Martyres , dies ille  
 festus est institutus, dum illi Pantheon  
 dedicauit. Et quis ambigat Deiparam  
 SS. omnium Dominam ac Reginam præ-  
 cipuo semper inter eos cultu & honore  
 prosequendam? Deinde tres aliæ mino-  
 res festiuitates annectuntur, Præsenta-  
 tionis, Visitationis, & S. Mariæ ad Niues;  
 etsi multis iam locis vtraque prior, alte-  
 ra certè Visitationis maior, & obligatio-  
 ne præcepti comprehensa , censeatur.  
 Christi quoque Domini festiuitatibus  
 enu-

*Psal. 64.*  
 12.

LIBER I. CAPVT XVII. 159  
enumeratis, adijciuntur Epiphaniæ, SS.  
Trinitatis, Transfigurationis; quod  
postremum à Calixto III. refert institu-  
tum Platina. Id vnū si eximas & SS. Tri-  
nitatis (quamquam & ad Virginem id  
referripotest, quæ triclinium fuit & est  
augustissimum SS. Trinitatis; ab eadem  
triplici gloriæ diademate coronata, om-  
nipotentia, sapientia, bonitatis, quæ ab  
Hesychio vetusto Patre complemētum  
totius Trinitatis dicitur, per quam, in  
qua, & ex qua diuini Verbi incarnatio  
perfecta est à Trinitate) ceteræ certè ce-  
lebritates omnes Saluatoris, Virginis  
quoque Matris, speciali ratione censen-  
dæ sunt festiuitates, ad eamque pro-  
pria quadam & singulari ratione per-  
tinent. Etenim Christi natalitius dies  
Deiparæ est auspiciatissimus virgineus  
partus, quo numquam magis honorata  
est virginitas, quàm quo, vt ait Ambro-  
sius, posteritatem acquisiuit; Circumci-  
sionis, si, vt multorum fert sententia, D.  
Mater eam peregit, spectauit illam cer-  
rè, ac profusissimis lacrymis plagam il-  
lam filij, primoresque guttas cruoris di-  
uini

*In serm. de  
laudibus  
Mariæ.*

uini diluit atque deterfit; tum & Iesu nomē augustissimum prima mortalium omniū, ut erat à Deo facere iussa, imposuit. Epiphaniæ, dum Regibus Magis Deum infantem in gremio suo, uti throno clementiæ suæ dignissimo, præbuit adorandum, oblata ab eis munera fidei suæ symbola, benignè suscepit. Resurrectionis, cū rediuius à morte filius ante omnes afflictissimæ matri videndū se præbuit: nam erat æquissimum, ut ad quam summus mœror à filij passione ac morte venerat, ad eandem resurrectionis summus honor lætitiæque præcipua perueniret. Pentecostes, cū inter aggregatos discipulos, ipsa quidem loco postrema, at dignitate prima consedit, & copiosissimè, supra omnes, prout erat optimè comparata, Spiritus sancti donis impleta est. De festo Corporis Christi, ex superiori capite confici potest. Consimili ratione dies festi sacratissimæ Virginis, vicissim ad Christum filium iure quàm optimo referuntur, cuius honoris causa, præcipuè sunt instituti; ex quo fonte dimanarunt Virginis Matris om-

omnes prærogatiuæ ac præcellentia; quòd esset filij Dei delecta ac designata Mater, habita est in ijs honoris filij ratio. inde Virgini cùm immaculata Conceptio, tum toti mundo lætissima Natiuitas obtigit: ob eam causam in templum à parentibus trimula est deducta, vt ad diuinum æterni Verbi conceptum enutrita sanctissimè compararetur. Annuntiatio ipsa est diuini Verbi conceptio, & incarnatio; Visitatio, cùm propinquam suam S. Elizabeth inuisit, tum & Deus infans eius vtero clausus, Baptistam materno in vtero præcursorem inuisit, & infusa gratia prophetiaq; sanctificauit; Purificatio Virginis Matris, adiunctam habet filij Saluatoris oblationem in templo, & quæ ab ea facta est quinque siclis ex præscripto legis Mosaicæ redemptionem. Denique gloriosa Assumptio & reliqui dies festi Virginis Matris, filij Saluatoris aduersus illam in conferenda illi corporis & animæ suprema gloria, munificentiam deprædicant. Quamobrem non sunt mihi cohortandi Sodales ad hosce dies festos præcipuo quodam cultu

cultu pietatis celebrandos, cum aduersus hunc utrumque suæ salutis parentem obseruantissimi sint, iamque non semel experti, quantus ex ea festorum obseruatione meritorum ac gaudiorum spiritualium cumulus redeat; gratiæ potius agendæ Sodalitati, quod eorum non modo maximam dierum solemniter agendorum oportunitatem præbeat, verum & iustissimam gratissimamque suis legibus imponat necessitatem. Auctor nobis est piissimus vitæ spiritualis Magister, Thomas à Kempis, ut sub hæc Saluatoris ac D. Matris præcipuas festiuitates, quasi ex hac ærumnosa, ad alteram beatam immortalemque vitam emigraturi essemus, ita nos animo comparemus, pro eo quo nos oportet patriæ cælestis, visendorumque istic optimorum parentum, Deiparæ ac Saluatoris, succendi desiderio, tum & calamitosæ huius vitæ, tot obnoxia peccatis ac perturbationibus, afficitædio. Toleranda vita præsens, appetenda futura: res temporales in vñ esse debent, æternæ in desiderio; illæ obiter pertranseundæ inspiciendæque, istæ

con-

*Lib. 1. de  
Imitat.  
Christi c.  
19.*

continenter votis ardentibus suspiranda. Quoties eæ præterea recurrunt festiuitates, quemadmodum qui ad templorum ianuas mendici stipem corrogant, tum se largiores sperant accepturos eleëmofynas, quo futura est maior fidelium pietas, pietati responsura liberalitas: ad eum modum nos spiritualium egentissimi bonorum, mendici cælestes, profusorem in nos B. Matris ac Saluatoris munificentiam tum futuram considerare debemus, si nostras eis arumnas penuriasque luculentiùs aperuerimus; eorumque beneficentiam precibus ardentioribus implorauerimus. Et sanè, quod viri generosi coniugum suarum amantes facere solent, vt illis rerum domesticarum curam omnem & administrationem permittant, pecuniæ claues & tutelam eis committant, ac per eas sumptum omnem ac impensam fieri patiantur, earumque liberalitati largitione relinquunt eleëmofynarum; ita Deus opt. max. clementissimæ Matri, ac sponsæ suæ gratiarum suarum omnes thesauros concedidit, quidquid impensarum  
fa-

164 DE BONO SODAL. PARTH.  
faciendum est, quidquid liberaliter munificeque largiendum, id eius potestati permittit; ac per eius manus recensitum ad nos peruenire voluit, ut illi potissimum vni referamus acceptum, eiusque omni studio largitatem prouocare ac beneuolentiam conciliare nitamur.

### C A P V T X V I I I .

*De Sabbato Virginis honori consecrato, deq̄ eius diei ieiunio.*

**V**T verusta pridem Ecclesiæ consuetudine, ab ipsis Apostolorum temporibus, dies Dominica Resurrectioni Saluatoris, feria quarta & sexta Passioni eius & morti recondendæ eît dicata; ita, ex eodem Ecclesiæ more atque instituto, dies Sabbati Deiparæ Virginis honori consecrata habetur. Et æquum sanè fuit, ut, cum Apostolis, Martyribus, Pontificibus, Virginibus sui sint statim dies, quibus illis obseruantia religiosa, & de adepta sempiternæ gloriæ felicitate gratulatio defertur; huic Sanctorum omnium

nium

nium Reginae ac Principi, Apostolorum  
 magistræ, Martyrum exhortatrici, Pon-  
 tificum lumini, Virginum duci, certo  
 quoquo hebdomadæ die religiosus ho-  
 nos ac cultus haberetur. Huius moris &  
 instituti quidam exordium referunt ad  
 Concilium Claromontanum sub Vr-  
 bano II. dum indictæ sunt horariæ pre-  
 ces, & Missa sollemnis, quoquo Sabbato  
 præscripta ad felicem, quam tum Ortho-  
 doxi, duce Godefrido Bullonio, in ter-  
 ram sanctam meditabantur expeditio-  
 nem. Verùm longè vetustiora eius mo-  
 ris & instituti vestigia deprehenduntur.  
 Alcuinus imprimis, Caroli Magni præ-  
 ceptor, eius certè familiaris & Theolo-  
 gus, sub annum 770. rogante S. Bonifa-  
 cio Archiepiscopo Moguntino, quæ  
 Missarum in singulos hebdomadæ dies  
 sequenda esset distributio, feria sexta  
 Passionis, septima seu Sabbato Deiparæ  
 Virginis assignasse reperitur. Id quæ Gu-  
 lielmus Durandus ortum putat, quòd  
 Constantinopoli, cùm esset imago quæ  
 dam Deiparæ velo connecta, id velum  
 sua sponte miraculo subducebatur ab

*sub annum*

1094.

*l. 1. de di-  
nins officijs  
c. 1.**Jacobus Pa-  
melius l. 3.  
Sacram.*

EX-

expletis feriæ sextæ Vesperis, vt toti populo palàm conspicua foret, vsque ad alteras diei Sabbati Vesperas; tum demum velum illud velut è cælo dimittebatur, ac sacram Deiparæ Virginis imaginem obuelabat; id sanè miraculum plurimos in religione diei Sabbati confirmarit. Sanctus quoque Gerardus Canadiensis Episcopus, qui præclaro martyrio perfunctus legitur sub annum 1042. singulis Sabbatis Assumptæ in cælum Virginis cum nouem lectionibus ante aram eius, summo sensu pietatis explebat officium. Denique Cluniacensis Ordo, qui fuit institutus sub annum 812. instituit, vt Sabbatis extra Quadragesimam, & nisi dum solennitas occurreret, officium celebretur de intemerata Virgine singulari spe nostra, (sic enim loquitur) post Dominum Iesum. Ex quibus alijsque vestigijs deprehenditur, non inductum, sed confirmatum potius auctoritate Synodi Claromontanæ vetustum hunc Ecclesiæ morem, de colenda speciatim quoquo Sabbato Deipara. Qua de re pluribus agunt omni laude doctrinæ ac

pie-

*Surius die  
24. Se-  
ptem. tom. 5*

pietatis, huiusque aduersus Virginem  
 clientelæ per illustres tutores nostri PP.  
 Canisius, Spinellus & alij. Mihi cum nul-  
 lus auctor certus proferatur, ex notissi-  
 ma S. Augustini regula, ad Apostolorum  
 instituta ac tempora mos iste referendus  
 videtur. neque mirum, si qui Virginis æ-  
 des Nazarenas in Dei templum conse-  
 crarunt, eodem Spiritu sancto afflati A-  
 postoli, & sepulturæ Domini memoran-  
 dæ, & Deiparæ speciali cultu honoran-  
 dæ, diem Sabbati consignerint. Nam de  
 pluribus causis, ob quas hic dies cultui  
 Virginis sit attributus, hæc præcipuè  
 probatur: Quòd, quo die Sabbati Chri-  
 sti Domini corpus ex anime iacuit in se-  
 pulchro, Sanctissima Mater ex recentis-  
 sima Saluatoris filij patientis ac morien-  
 tis effigie memoriaque ad viuum ex-  
 pressa, quæ numquam quidem postea  
 potuit obliterari, sed tum maximè re-  
 centissima mœstissimum matris pectus  
 effodiebat, tum inquam illud præsentis-  
 simo doloris gladio iuxta S. Simeonis  
 vaticiniū, & continuo vulnere sauciabat,  
 per id omne tempus quo Christus ia-  
 cuit

*Lib. 5. de  
 Virg. c. 29.  
 & alij.*

cuit exanimis in monumento, D. Mater filij passione ac morte confecta, martyrium cordis perpeffa est tanto certius atrociusque omni martyrio, quanto anima corpori præstat, quanto grauior est animi quàm corporis cruciatus; ex quo plusquam Martyr, & Martyrum princeps à sanctis Patribus nuncupatur. Præterea pereum diem Christi mortis & sepulturæ, in sola eius parente viguit expressa fides proximè consecuturæ resurrectionis, de qua nihil tum magnopere cogitabant Apostoli: quibus tametsi fides ea non defuerit, neque penitus extincta conciderit; fuit tamen obscurata, consopita, & quadam mentis inuoluta caligine. Nam, vt monet S. Ioannes, *Ioan. 20. 9. nondum sciebant Scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere: & S. Lucas, Non intelligebant quæ dicebantur.* Hac vtraque ex causa, Virginis honori dedicatur dies Sabbati; eritque ei pergratum Parthenij Sodalitatis officium, si quo quo Sabbato tum acerbissimos matris afflictissimæ dolores meditando recenseat, cum præsertim dolorum omnium acerbissimum,

*Ioan. 20. 9.*

*Luc. 18.*

34.

*nondum sciebant Scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere: & S. Lucas, Non intelligebant quæ dicebantur.* Hac vtraque ex causa, Virginis honori dedicatur dies Sabbati; eritque ei pergratum Parthenij Sodalitatis officium, si quo quo Sabbato tum acerbissimos matris afflictissimæ dolores meditando recenseat, cum præsertim dolorum omnium acerbissimum,

mum, cum ad crucis filij pedem astitit,  
 oppressa mœrore, sed inuicta tamen,  
 cum Deum filium per extrema suppli-  
 cia morientem contuita est; tum & gau-  
 dium illud eiusdem immensum ex filij  
 ab inferis rediuiui conspectu lætissimo;  
 ceteraq; ex eodem filio Deo in terris ver-  
 sante percepta solatia, ac castissima men-  
 tis oblectamenta recolligat, atque illi o-  
 ptimæ Matri repræsentet. Apud non-  
 nullos speciale quotannis agitur festum  
 collectionis festorum Deiparæ: sunt  
 qui & dolorum eius & gaudiorum. At  
 ego Sodalibus auctor sum, vt, si non om-  
 ni die, certè quoquo Sabbato, præci-  
 pua Patronæ festa mysteriaque comme-  
 morando retractent, tum & duplicem  
 mœrorum eius & gaudiorum fasciculum  
 colligant, myrrhæ & thuris, quem me-  
 mori mente circumferant, præsens ad-  
 uersus noxias sæculi fascinationes anti-  
 dotum; tum & D. Matri cum pietatis sc̃-  
 su gratissimum sertum offerant, memi-  
 nerit eorum, quorum obliuisci non  
 potest, mysteriorum nostræ salutis ac re-  
 demptionis, mœrorum ac gaudiorum,

H

quæ

quæ filius Deus illi contulit, ut eorum-  
 dem quoque saluberrima recordatio præ-  
 cordijs nostris altius infigatur, semper-  
 que aut moriens nostri causa Saluator ac  
 de cruce pendens, aut de monumen-  
 to resurgens animis obuersetur. Hoc  
 saluberrimo instituto D. Matri & Sab-  
 bato compatiamur, & Dominica die  
 congratulemur. Non colligo hinc quæ sit  
 inter Virginis uterum sepulchrumque  
 Domini cognatio ac similitudo; de qua  
 pluribus Ambros. id vnum modò con-  
 stet, sepulturæ Domini rectissimæ ratio-  
 ne martyrium cordis afflictissimæ ma-  
 tris copulari. Ob quam utramque causam  
 iam pridem apud Romanam Ecclesiam,  
 & plerasque Occidentis obseruari con-  
 suevit ieiunium: quod tum ex vita Inno-  
 centij Primi Pontificis, tum ex epistola  
 86. S. Augustini deprehenditur: de quo  
 ieiunio, rogatu sanctissimæ femine ma-  
 tris suæ Monicæ cum Ambrosium con-  
 suluisset Augustinus, respondit Ambros.  
 se cum esset Romæ ieiunare, Mediolani  
 non ieiunare, cuique eius Ecclesiæ, in  
 qua versatur, morè obseruandum. Hunc  
 cun-

eundem morem in Hispaniarum Ecclesiis viguisse perspicuum fit ex Hieron. epist. 97. & 28 Quod autem Orientales ab eius diei ieiunio abhorrent, alia fuit iustissima causa, de qua Baronius, cum Gnostici Deum mundi conditorem, vti malum detestati, in eius odium à cibus die Sabbati temperarent. Turrianus noster ex illis Domini verbis, de suis discipulis, *Cum ablatus fuerit ab eis sponsus, tunc ieiunabunt*; factum opinatur, vt apud Orientales feria 4 & 6. ieiuniū indiceretur, quibus ablati videtur fuisse Dominus: nam feria 4. coacto à Iudæis cōcilio cum Iuda proditore inita transactio, & feria 6. Dominus in crucē actus & mortuus. Apud Occidentales habitatio est sepulturæ Domini, & loco feriæ 4. Sabbato indicta est à carnibus abstinentia, quæ species quædam est ieiunij, vt obseruat Damascenus. Tertullianus portionale vocat ieiunium, hoc est exceptionē quorundam eduliorum. Apud plurimos Deiparæ cultores perfectum & integrum viget hoc ieiunium, idq; tum & alijs pœnitentiæ & corporis maceran-

*Tom. 1. ad  
annum  
Christi 57.*

*Lib. 1. cōtra  
Magdeb.  
cap. 3.*

*Lib. de iei-  
iunij ad  
Cornolum.*

di generibus, cilicio, disciplina, humicatione, tum & misericordie siue corporalis, siue spiritualis pijs operibus cumulare solent, ad Deiparæ martyrium, quod in filij morte ac sepultura pertulit, animo gratissimo recolendum. Quæ sanè laudanda, neq; minùs Deo Saluatori, quàm Virgini Matrì probata est & accepta consuetudo. Est enim Saluator obseruans eius præcepti, quod ab ipsa nobis impositum est natura, quod Tobias senior filio commendabat impensius: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: memor enim esse debes quæ & quanta pericula*

*Tobias 4. 3.*

*passa sit propter te in vtero suo. cuius nos obligatione præcepti tanto iustius astringimur, quanto ad meliorem diuiniorèq; vitam gratiæ spiritalem grauioribus cum animi sui præcordiorum conuulsionibus B. Mater ad Christi filij crucis pedem nos genuit, quanto illius redemptionis fructum eximium in animas nostras deriuari cupiuit ardentius, ac sollicitius procurauit.*

## CAPVT XIX.

*De publicis Sodalitatis cœtibus atque conuentibus.*

**D**vo sunt fines, ob quos publici Sodalitatis cœtus habentur: vel Deū, Diuamque Matrem communiter precandi causa, vel audiendæ concionis & exhortationis, quæ fit à Præfecto aut Directore Sodalitatis. Inde duplex emergit utilitas spiritalis, quam eo cumulatorem consequetur Parthenius Sodalitis, quo ad eos conuentus accedet animo puriore, & aduersus Sanctissimam Dei Matrem ardentiore. Etenim sic ad eos adire deberet, quasi ad ipsammet Dei Matrem adiret, quæ cœtibus illis præsidet, suisque Sodalibus adest præsentissima, vt quas ei deferunt preces audiat aure benignissima, & apud Filium Deum gratiam illis atque audientiam conciliet. Tum quæ abs suæ Sodalitatis ministris sacra verba fiunt, vt certa quædam sua mandata reuerenter excipi, & cum vsus tempusque postulauerit, executio-

ni demandari vehementer optat. Ex hac igitur vtraque causa perquam cupidè & studiosè frequentandi sunt Sodalitatis cœtus, quasi in ijs palàm se conspiciendam & fruendam exhiberet clementissima Mater, audientiam clientibus suis factura, eorumque supplices exceptura precum libellos, quos addita prece sua non frustra mox offerat Filio Saluatori. Tum eisdem cœtibus præsidere existimanda est, vti optima vitæ spiritualis instituendæ magistra, suos de omni ea ratione diligenter informatura, & saluberrima monita per suæ Sodalitatis administratos traditura. Quod Saluator pro sua benignitate spondit: *Iterum dico vobis, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Id ipsum pro ea, qua Sodales suos materna complectitur benevolentia, Deiparam re ipsa cumulatè præstituram ambigendum non est. Quod item est apud Ioannem: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsq̄ue modo non*

*Matth.*  
18. 19.

*Ioan. 16.*  
24.

non petistis quidquam in nomine meo: Petite,  
 & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.  
 Vt in Filij apud Deum Patrem, ita & Ma-  
 tris apud Filium interposito nomine  
 preces valere credendum est. Nihil enim,  
 non Pater Filio, non Filius Matri ad ho-  
 minum salutem iustissima deprecanti  
 denegare potest. Cùm verò preces non  
 seorsim à singulis, sed velut collecta ac  
 coniuncta manu fiunt ab vniuersis, vis  
 propemodum infertur diuino Numini,  
 & longè eas plus habere pōderis necesse  
 est. Iam quo quisque sibi magis diffidit,  
 suæque tenuitatis & imbecillitatis est  
 conscius, eo maiore cura & studio alijs  
 sese adiungere debet, quorum sit arden-  
 tior virtus & charitas, quorum consor-  
 tio præsidioq; nitatur. Quo minus quis  
 spei in suis habet priuatis precibus, eo de-  
 bet in publicis plus confidentiæ repo-  
 nere, ad easque animo propensiore con-  
 cedere. Id quoque Sodalitatis bonum  
 haud mediocre debet existimari, quòd  
 Sodalium preces per Beatam Matrem  
 faciliùs exaudiantur à Deo, cùm minimè  
 tamquam exteri & ignoti homines, ve-

rùm, vti domestici, ac Reginae cælorum vernaculi serui, veluti palatini cælestis aulae censeantur, quodque eorum precibus maximum pondus addat & momentum, ipsa D. Matris, cui defert omnia Filius Deus, eximia quædam commendatio. Repudiandæ quidem forent tepidæ nostræ, & oscitanter effusæ preces, sed alijs admixtæ feruentibus, charitatis in Deum Diuamque Matrem igne succensis, non nihil incalescant, aut certè, quæ Dei benignitas est, aliorum merito, & D. Matris intuitu recipiuntur & exaudiuntur. Altera nihilominus causa doctrinæ salutaris excipiendæ, ad hosce cõuentus adeundos impellere debet Sodales, si modò sint sui profectus cupidi ac studiosi. hîc etenim, vt in propria, & selecta sacratissimæ Virginis schola, non vulgaris & obuia passim eruditio sacra traditur, quæ ad quosuis promiscuè Christi fideles instituendos pertineat; (quãquã neq; hæc omnino desideratur) sed insuper spiritualis habetur prælectio clientum ac Deiparæ cultorum propria, qui suæ perfectionis addicti studio, sola

la præceptorum obseruatione minimè contenti, ad opera præclara supererogationis & consilij, ad eminentem sanctitatem, & diuinæ charitatis absolutiorem adspirant. Hic suos B. Mater instituit informatque Sodales de omnibus quidem vitæ Christianæ partibus atque officijs, sed præcipuè tamen de suo, filijque Saluatoris augendo cultu, cuius causa coalita est Sodalitas, de diuini eius nominis amplificanda gloria, de sua & proximorum salute ac perfectione, cum ope diuinæ gratiæ summo studio promouenda. Ipsa est Diua Mater, quæ per suæ Sodalitatis ministros, hæc in conuentibus edicit atque eloquitur, suisque impensius commendat Sodalibus. quare, vt ab eius ore profecta, sic forent ea diuina excipienda mandata. Qui leuiori quaque de causa ab hisce cœtibus se subducere non verentur, & Deiparæ parum se amantes, & sui profectus spiritualis omnino negligentes esse demonstrant. Tum verò priuant se ipsi maximo multiplicique fructu, & Indulgentiarum, quas ijs qui intersunt benignè Sedes A-

H 5

posto-

178 DE BONO SODAL. PARTH.  
postolica concessit, & maternæ benedi-  
ctionis, quam Deipara Præses horum  
cœtum suis semper elargitur, & vberio-  
ris denique gratiæ, quam præsentibus à  
filio Salvatore procurat. Certum ego  
quidem habeo, specialis gratiæ subsidia,  
quæ sunt ad salutem, & spiritualem pro-  
fectum tantopere necessaria, ijs potissi-  
mùm obtineri à clementissima Matre,  
qui conuentibus ijs, qui eius vnus ho-  
noris causâ habentur, frequentes inter-  
sunt. æquum est, qui Sanctissimam Ma-  
trem honorat, ab ea vicissim honoretur,  
qui sese præsentem illi sistit, præsentem  
quoque Dei Matrem non frustra magno  
fœnore gratiarum experietur. Vt solent  
palatini in sui Principis conspectum se  
dare, quoties aditus datur, suo certè die  
numquam desunt: ita Sodales Regine  
celorum terrestres quidam aulici sum-  
mo gaudio perfundi debent, cum in pu-  
blico Sodalium cœtu, corâ Domina sua  
sistere se queunt, cum vnâ cum cæteris  
aggregati benignos illius ac misericor-  
des oculos in sese illiciunt atque pro-  
uocant. Tum verò si quid Princeps man-  
dat

dat atque imperat, ad eius omnes nutus promptissimi astant aulici, id summi beneficij loco habituri, si quid eis iniunctū fuerit. Quo igitur à Sodalibus animo Deiparæ mandata sunt excipienda, quò studio peragenda, qua mentis alacritate atque exultatione sacræ conciones audiendæ? *Oues mea vocem meam audiūt,* aiebat optimus Pastor, *& ego cognosco eas,* *& sequuntur me,* *& ego vitam eternam do eis,* *& non peribunt in eternum,* *& non rapiet eas quisquam de manu mea:* ad Christum pertinent Pastorem oves quoque Virginis, quæ in grege eius Sodalitatis annumerantur, & in illas quoque hæc Christi dicta conueniunt, *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* delectari debet quisque Sodalis eximio cum animi sensu diuinis sermonibus. Non est dignus Deiparæ clientela, qui Saluatoris eius filij diuina verba non libenter audit, qui hoc suæ mentis suauissimo pabulo non capitur, non suam explet spiritualem esuriam, vt in spiritu quotidie vegetetur ac roboretur. Audienda Dei verba, & in interiore cordis penu, in thesauro memoriæ, in-

Ioan. 10.  
v. 27 &  
28.

tellectus assidua meditatione, propensiore voluntatis affectu conseruanda. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

*Psal. 118.  
11.*

Postremò quātum afferre debet gaudium, & ad virtutem omnem incitamentum cæterorum conspectus Sodalium, de quorum virtute & sanctitate singularem habere quemque decet existimationem; ac quoties aulam Sodalitatis ingredimur, eo debemus affici sensu, ac pietatis motu, quo B. Leo Pontifex ad aspectum Dei seruorum velut ad Angelorum conuentum: Non dubito nos abundantiore diuinæ præsentia gratia visitari, quando simul adsunt, & vno lumine micant rot speciosissima tabernacula Dei, tot membra excellentissima corporis Christi; nec abest, vti confido, ab hoc cœtu Beatissimi Apostoli Petri, dicam ego, Sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, pia dignatio, & fida dilectio, nec vestram deuotionem illa deseruit, cuius nos reuerentia congregauit.

*Serm. 1. de  
anniuers.  
die sua con-  
secrat.*

## CAPVT XX.

*De menstrua Suffragiorum sortitione.*

**P**Ræteriri non debet hæc quoque publici conuentus Sodalitatis causa iustissima, quæ non parum ad promouendam pietatem valet. Ab optimè instituta Ducis Gandiæ B. Patris Francisci Borgiæ paterna domo manauit ea consuetudo, atque in Societatem Iesu primùm induta, inde ad Sodalitates Deiparæ traduta magno nunc passim animorum fructu celebratur. Extrema aut prima cuiusque mensis Dominica fit ea suffragiorum seu schedarum sortitio, in quibus præter piam incunculam, nomen inscriptum habetur Sancti alicuius, cuius in insequentem mensem dies festiuus incidat; tum apposita quoque adiungitur sententia S. Scripturæ aut S. Patris alicuius Ecclesiæ Doctoris, eo mense meditanda; deinde virtus per eum quoque menssem excolenda, aut vitium extirpandum; postremò indicitur precatio pro re qua-

H 7

piam

piam atque intentione pia, & vno è Sodalibus designato : atque hinc ortum suffragij nomen. Hisce omnibus bonis atque emolumentis constat sortitio suffragiorum. De pia Christi Domini, aut B. Matris imagine, quæ ferè in ijs schedis habetur impressa, quantum ad exsuscitandam pietatem, & vtriusque huius nostræ salutis parentis assiduam recordationem valeat, nihil est necesse dicere. id vnũ monuerim, si schedam eam quasi cælitus à D. Matre missam ad nos salutarem epistolam reputemus, imaginem eam sigilli locum obtinere, nec alio sensu nobis inspiciendam. Primùm Patronus, cuius in eum mensem cælestis natalis incidat, velut à Deo, & D. Matre nobis datus ac consignatus custos ac præses actionum omnium eius mensis, vitæque nostræ tutelaris existimandus est; quem eo mense, speciali quodam honoris cultu prosequamur, nullo non die cum ceteris Patronis suppliciter inuocemus, ad eius opem confugiamus, vti nos in Saluatoris ac B. Matris gratia ac beneuolentia collocare pergat, in omni  
dis-

discrimine vnà cū Angelo Custode, aduersus infensas hostium nostrorū tartareas phalanges, aduersus quas, vti dictum est alio loco, cū pluribus egemus sanctorum Angelorum hominumq; præsiidiis, tueatur. Pridie eius diei natalis ieiunium, aut alia corporis adhibenda castigatio moderata; ipso autem die maior aliqua aduersus eundem obseruantia ac pietatis significatio danda, aut sacra communione, aut prolixiori precatatione, aut eleëmofyna, aut alia virtutis exercitatione. Quòd si vitæ eius atque historiæ extant monumenta, ea diligenti lectione ac commentatione sunt vsurpanda, seligendaque ex eis, & quæ imiteris appositiva virtutum exempla, & quæ memoriæ defigas, vsuque exprimas salutaria documenta. Quàm verò sit Deiparæ Sanctorum hic cultus acceptus, pro ea qua beatos cæli ciues omnes, Saluatoris filij sui curiæ Principes, beneuolentia complectitur, tum quantopere conferat ad conciliandam & augendam B. Mariæ in nos beneuolentiam, pro ea qua illam prosequantur obseruantia, clarius est, quàm

quàm vt pluribus demonstrari sit necessesse. Iam verò sententia è S. Scripturæ aut sanctorum Patrum libris deprompta velut salutare documentum à clementissima Matre ad nos è cælo transmissum excipi debet, altiusque animo memori recondi, ad varios qui per eum mensem occurrunt, seu tristes seu lætos rerum euentus. tametsi fortuitò ac temerè nobis illæ schedæ videantur obtingere, si tamen Dei ac D. Matris prouidentiam spectes, non obtingunt fortuitò, sed planè destinato certoque cõsilio: idq; multorum experimento compertum est, nõ potuisse pro eo quo tum in statu mentis que affectu versabantur, opportuniore ac salubriore euenire sententias. Igitur tamquam diuinitus destinatæ ediscendæ sunt, ac per totum mensem memoria circumferendæ, cumque deest aliud mētis pabulum, assidua retractatione & ruminatione digerendæ: vt Chineses herbã illam suam continenter ore mandũt, ita nos mente sententiam illam salutarem. Danda insuper opera virtuti, quæ per eũ mensem vsurpanda præscribitur, nec vltus

lus dies abire debet, quin illius vnū plu-  
 res ſue obeamus actus, moderata quadam  
 cum animi contentione, & Sanctiſſimæ  
 Matris ope ad eam conſequendam ſup-  
 pliciter implorata. Vt videmus ſæculi  
 negotiatores ad omne lucrum attētīſſi-  
 mos, nullam ſinere ſibi quæſtus augendi  
 occaſionem præterfluere, minima quæ-  
 que compendia diligenter aucupari: ita  
 multo quæ magis nos in virtutum exerci-  
 tatione ad ſempiterna lucra gratiæ glo-  
 riæque cęleſtis aſpirare conuenit, illud quæ;  
 reputare quidquid modò temporis no-  
 bis deperit, in æternum deperire: *Quod- Eccl. 9. 10.*  
*cumque poteſt facere manus tua inſtanter o-*  
*perare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia,*  
*nec ſcientia eſt apud inferos quò tu properas.*  
 Ad extremum ſupplicandum Deo ac  
 D. Matri quoquo die pro ea cauſa, pro  
 quæ co è Sodalibus vno, qui nobis obti-  
 gerit. quo ſtudio & ardore pro ſe quiſque;  
 vult ab alio preces fundi, eodẽ & ipſum  
 pro alio ad precandum accedere par eſt,  
 nec cumlatiorem ab aliis meſuram  
 exigere quàm qua ipſe cæteris metiatur.  
 Valet ea ſuffragiorum communio ad ar-  
 ctius

*Iacobi 5.16.*

ctius vinculum animorum, quo Sodales ex vna B. Matris familia religari inter se conuenit: tum verò Deus hac mutua charitate magnopere delectatur, eiusq; respectu in largiendis gratiæ suæ donis munificentior existit. *Orate* (inquit D. Iacobus) *pro inuicem, vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Ita decurrentibus mensibus & annis ad stabilem nobis adspirandum æternitatem, felicemque in cælis Sanctorum ac B. Matris societatem. Quo longiùs in vita prouehimur, eo propiùs ad mortem & exitum propinquamus; quot adiciuntur menses, tot vitæ spatia detrahuntur; dum viuimus, morimur; dum in vita progredimur, mortem instantiùs accersimus, quoad omnitemporis effluxu præterito ad extremum clepsydæ & beatæ æternitatis introitum, quæ nec vlllo consequenti cursu distinguatur, nec exitu ac fine terminetur, B. Matris ope pertingamus. Amen.

## CAPVT XXI.

*De animorum coniunctione inter So-  
dales, ac de priuatis congressibus  
& spiritualibus colloquiis.*

**S**I proximo gradu ad Religiosas votis  
Silligatas societates hæc Deiparæ So-  
dalitas studio virtutis accedere nititur; si  
quod erant in Ecclesia primitiua fideles,  
cum collatis agrorum ac possessionum  
suarum pretiis ad Apostolorum pedes,  
communiter habitabant, & erat eorum  
omnium cor vnum & anima vna, id  
Parthenii Sodales, quoad agenda in sæ-  
culo vitæ ratio patitur, non quidem ab-  
dicatis per paupertatē facultatibus, sed  
tamen inter se charitate quadam eximia  
cohærentes, esse cor vnum & anima v-  
na, præsidis & auspicijs B. Matris elabo-  
rant; haud est obscurum quàm crebri  
debeant eorum esse congressus & ser-  
mones, ad eiusdem propè domicilij &  
contubernij consuetudinem, ad intimæ  
& fraternæ familiaritatis vsum, mu-  
tuumque in rebus omnibus subsidium

at-

atque solatium. Magna vis est amicitiae, quam bonorum omnium maximum bonum Aristoteles esse dicebat, teste Laërtio: quod fortè hauserat ex Socrate, quem idem Laërtius scribit solitum dicere, nullam possessionem vero bonoque amico pretiosorem esse posse, nec ullam aliam rem esse in mundo, ex qua vel maior utilitas, vel maior etiam voluptas capiatur, de cuius laudibus multa Tullius. Quoquò te verteris præstò est, nullo neque loco, neque tempore excluditur, nunquam intempestiva, nunquam molesta, per quam & absentes adiunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & quod difficilius est dictu, mortui viuunt. Certe, ut idem ait, propinquitati longè præstat; quòd ex propinquitate beneuolentia tolli potest, ex amicitia autem tolli non potest: sublata enim beneuolentia amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet. idque experimur, non rarò inter eos qui sua voluntate sanxerunt fœdus amicitiae, maiorem esse necessitudinem & charitatem, quàm inter eos quos eadem

dem

dem sanguinis communio copulauit. Quæ si vera sunt de ea quæ naturæ limites minimè transcendit amicitia, cuius omnis fructus mortalis huius vitæ angustijs commodisq̃ue perexiguus includitur; quid de cælesti, diuina, à Spiritu sancto inspirata charitate & ordinis diuini amicitia censendum, quæ ad beatæ vitæ refertur æternitatem, quæ nos in Christo coniungit arctissimè, adoptionis eius gratia, Dei filios, germanos fratres, æterni regni coheredes, ac B. quoque Matris eiusdem filios, quos in Christo filio genuerit atque educarit, & hactenus materna cura regere ac prouidentia fouere non intermittat? Præclarè S. August. Melior est fraternitate sanguinis Christi fraternitas, quoniam illa interdum sibi inimica est, Christi autem, quæ eadem est Mariæ, fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione diuidit, hæc etiam cum gratulatione communicat. Illa consortio sæpè despicit germanos, hæc assumit frequenter alienum: quamquam alienus non est, qui per

*Serm. 27.  
de verbis  
Apost.*

190 DE BONO SODAL. PARTH.  
per Virginem Matrem Sodalis ac frater  
effectus est, quem vti charissimum Dei-  
paræ clientem filiumque contuemur,  
quicum aliquando speramus in cælis B.  
Matris gloria ac societate perfrui, si nos  
spe nostra vitio nostro non exciderimus.  
Arctius hoc Deiparæ Sodalitatis, quàm  
sanguinis aut terrenæ ullius amicitia  
vinculum, plus valere debet ad diligen-  
dam gratia quàm natura, Deiparæ Vir-  
ginis amor quàm vlla propinquitas. quã  
rem egregiè cõfirmat Ambros. alio pro-  
ductus à me capite. Hæc autem societas  
B. Virginis non ad hanc præcipuè vitam,  
sed futuram alteram sempiternam ma-  
ximè pertinet, atque ex peregrinante ac  
militante ad alteram regnantem ac tri-  
umphantem gradum facere cogitamus,  
ad eam aspiramus; atque iis fidei viuæ o-  
culis contuendi nobis sunt Sodales, vt  
beato eorumdem aliquando in cælis  
confortio fruituris. Inde nobis eorum  
ambiendi congressus sermonesque ex-  
petendi. tum si quibus officiis obse-  
quiisque beneuolentiam eorum con-  
ciliare possimus ac stabilire, tum eor-  
rum,

rum, tum B. Matris respectu, nihil animo nobis lubentiore præstandum est, rebus eorum prosperis æquè atque nostris ipsorum gaudendum, aduersis etiam impensius dolendum, curandum vt in nostri beneuolentia conquiescant, & per eam absentes adsint, imbecilles valeant, egentes abundant, mortui uiuant, dum viget apud animos nostros eorum memoria, & preces à morte nostras, si fortè ijs opus habent, non frustra requirant. Narrat Tertull. de primis Christianis, eos mutuam inter se charitatem officijs expressisse, vt in ore Gentilium frequens esset: Vide vt se diligant, vt alter pro altero mori sint parati! cum etiam consueuissent fratrum se vocabulis appellare, neque id solùm verbo, sed multò magis opere ac factis testarentur. Viget eadem lex charitatis, eademque appellatio fraterna apud legitimos Deiparæ Sodales, quibus alia coniunctionis & charitatis intimæ nulla potior iustiorque causa, quàm hæc Deiparæ Sodali-  
tatis, & quòd eos Diua Mater vti suos affectu singulari complectatur. Nam si  
res

*In Apolo-  
getico c. 3.*

res omnes amicitui, quem non vulgari  
aut mediocri amicitia sis complexus,  
propinquos, famulos, equum, canem i-  
psū amas; quā non amādi charitate Dei-  
paræ clientes, serui, filij? Sed fouēdus hic  
mutuus amor assidua mutuorū officio-  
rū vicissitudine, velut ignis pabulo suo,  
sic alendus vsu familiaris consuetudinis,  
crebris congressibus, colloquiisque spi-  
ritualibus, quæ maximè ad Virginis cul-  
tum honoremque promouendum refe-  
rantur. hic enim institutæ Sodalitatis fi-  
nis est, hic scopus, honos cultusque Dei-  
paræ, & maior Saluatoris eius filij glo-  
ria: ad quem si se mutuis Sodales sermo-  
nibus exsuscitent, longè Beatissimæ Ma-  
tri gratissimum facient. Nullum horum  
inter Sodales miscendorum sermonum  
accommodatius argumentum esse po-  
test, quàm ipsa Deipara, cuius assidua,  
certè crebrò repetita recordatione my-  
steria beneficiaque recolenda sunt, &  
ad imitandum illustria virtutum exem-  
pla proponenda: nec poterit hoc illos  
desituere argumentum, quod latissimè  
patet, ac vitameius omnem Saluatoris-  
que

que filij complectitur, tum verò fructu  
est vberimū, & tractatu iucundissimū.

Nam verissimè illa de se prædicat: *In viis* Prou. 8.  
20. & 21.  
*iustitia ambulo, & in medio semitarum iudi-*  
*cij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum*  
*repleam,* quoad spiritualem vtilitatem;  
quoad suauitatem verò, *Spiritus meus dul-* Eccl. 24.  
27.  
*cis, & hereditas mea super mel & fauum.* De  
qua sponsus quoq; in Canticis, *Fauus di-* Cant. 4. 11.  
*stillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.*

Hęc virginea terra est promissionis lacte  
& melle manās. Congruit omnino Dei-  
paræ quod Iosifæ tribuit Ecclesiasticus:  
*Memoria Iosifæ (dic veriùs Mariæ) in com-* Eccl. 49.  
1. 2.  
*positione odoris facta opus pigmentarij, in om-*  
*niori quasi mel indulcabitur eius memoria,*

*& vt musica in conuiuio vini.* Ergo cum So-  
dalibus tam præstans, suavis, exuberans-  
que materies suppetat colloquiorum  
spiritualium, auctor illis sim, vt, quem-  
admodum septem filij Iob sancti Pro- Iob 1.  
phetæ patientis in orbem sibi conuiuia  
struebant, ad quæ sorores quoque suas  
aduocabant; ita sibi vicissim de Beatissi-  
mæ Matris, Saluatorisque Domini vita  
virtutibusque salutaria ac deliciosa con-

194 DE BONO SODAL. PARTH.  
uiuia parent, ad quæ infirmos in fide,  
minùs prouectos in virtute instar foro-  
rum aduocent, vt abundantiam suauitatis  
Deiparæ omnes eructent, & tam sapido  
cibo vescantur ad saturitatem, ad imita-  
tionem perfectam; Christi quoque mu-  
sto, sanguinis eius & amoris calice, san-  
ctissima capiantur ebrietate, à suis abdu-  
cti sensibus & humanis curis, in vnus  
Deiparæ ac Christi Domini abripiantur  
amorem, illisque suauissimis amoribus  
suis, vt solent potu capti, iubilent ac  
concinant.

## C A P V T XXII.

### *De mutuis exemplis.*

**E**X publicis priuatisque Sodalium  
congressibus hæc etiam emerget v-  
tilitas, quòd ad virtutis studium mutuis  
prouocabuntur exemplis, dumque alter  
in altero quid sibi desit ad perfectionem  
inspicit, quod in illo abundat, honestissi-  
ma quadam æmulatione cõcitabuntur ad  
virtutem: qualis esse solet laudata concer-  
tatio inter discipulos ad doctrinam, inter  
mi-

milites ad coronam, pugiles ac curso-  
 res ad præmium; talis erit inter Sodales  
 plena cuiusdã sanctissimæ æmulationis  
 ad virtutem contentio. Vt cùm plures  
 idem stadium decurrunt, alter alteri so-  
 let esse ad currendum incitamento, ac  
 tum optimè quilibet suam agnoscit tar-  
 ditatem, cùm videt quanto alij præce-  
 dant interuallo, atque hoc semetipsum  
 aculeo vehementiùs exstimulat & vr-  
 get: ita Sodalibus inspecta cæterorum  
 virtutum exempla sponte currentibus  
 tamen calcar adijcient, & sese ipsi ad  
 brauium tacito velut celeumate cohor-  
 tabuntur. Mutua hæc sunt, & esse debēt  
 exempla, danda, & accipienda. Nam  
 Dominus præcipit: *Sic luceat lux vestra co-* *Matth. 5.*  
*ram hominibus, vt videant opera vestra bo-* *16.*  
*na, & glorificent Patrem vestrum qui in cæ-*  
*lis est.* In abscondito sit intentio Deo pla-  
 cendi, at opus prodire debet in publicū.  
*Non potest ciuitas abscondi supra montem po-* *v. 14.*  
*sita. Vos estis lux mundi.* Quod Sodalibus  
 quoque conuenit, in quos cæterorum o-  
 culi sunt coniecti, quos Beatissima Vir-  
 go Mater illustrat. Cùm autem humili-

ratis studio sua magis errata, quàm rectè facta quisque debeat attendere; proximorum contrà, rectè facta, non errata; apparet plura semper accipienda, quàm danda virtutum exempla. In eo certè magis elaborādum, vti aliorum virtutes ad imitandum propositas habeamus præ oculis, nostras autem occultemus, quæ tamen occultari non poterunt, si emineant; sed vt proximos nostros non lateant, nos certè latere possunt, & vt lateant, id qua ratione potest procurat humilitas. Dicere consueuerat vir sanctissimus Publius apud Theodoretum : Vt in forum ciuitatis opifices varij conueniunt, alij qui panes, alij qui olera, alij qui vestes aut calceos vendant, nec vllus est qui sufficiat ad omnia quæ sunt vitæ necessaria, per se patanda, sed potiùs alijs impertiendo quibus ipse abundat, vt panem, vt vestes, sumit ab alijs quæ sibi desunt, oleum, vinum, calceos, & similia: ita oportere Dei famulos in vnum quasi mercatum conuenire, cùm nemo possit omnia solus obtinere, virtutum pretiosissimas partes inter se commutare, alios  
ab

LIBER I. CAPVT XXII. 197  
ab alijs accipere, quod per se non habeāt.  
hic quidem illius imitetur mansuetudi-  
nem, ille contrā mansuetudinem suam  
illius zelo corroboret, alter ab alio vigi-  
lantiam discat, ille vicissim ieiunij do-  
ceat austeritatem. Denique omnes sibi  
inuicem, & discipuli fiant & magistri, vt  
dum singuli, quæ sibi desunt, ex alterius  
vita desumunt, virtutis cumulum vnde-  
quaque conficiāt absolutissimum. Qua  
quidem ex causa Publius ille, cū ex or-  
dine senatorio Religiosam disciplinam  
esset amplexus, existimauit omnino cō-  
sultius, quod & de Magno Antonio tra-  
dit Athanasius, communiter potius inter  
multos vitam agere, quā seorsim. Ma-  
gnus ille sanctus Antonius ex omnibus  
quibuscū viuebat, bonum aliquod sem-  
per elicere studebat, vt quasi vniuer-  
sarum virtutum fontibus irrigatus om-  
nium in se dotes exprimeret; nec solū  
id ipse exequi, verū & alijs præcipere  
ac consulere consueuerat. quæ de plu-  
ribus Cassianus l. 5. c. 4. Quanta vera sit  
exemplorum vis nemo nescit. Nam vt  
rectè Seneca, homines plus oculis, quā

*epist. 6.*

Serm. de S.  
Laurentio.

auribus credunt, deinde longum iter per  
præcepta, breue & efficax per exempla.  
Sit facilis, inquit S. Leo, ad exhortandum  
ratio, efficax ad suadendum; validiora  
tamen sunt exempla quàm verba, & ple-  
nius est opere docere quàm voce. Qua-  
propter notant auctores boni Deiparam  
Virginem, & cùm ante diuinum æter-  
ni Verbi conceptum versaretur in tem-  
plo, quò fuerat à parentibus trimula de-  
ducta, vt inter sacratas virgines educa-  
retur; & post Christi filij in cælos ascen-  
sum, cùm interpretiuios ageret fideles,  
quibus erant omnia communia, com-  
munisq; victus, ab Apostolis suppeditatus,  
inò, vt est multorum opinio, col-  
legium ipsa sacrarum virginum regeret;  
in eam curam semper incubuisse, vt fa-  
cto magis quàm verbo doceret, omni-  
bus ad omnem virtutem exemplo præ-  
ret: & de illa meritò canit Ecclesia, *Cuius  
vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.*

Ad sui ipsius cognitionem, veramq; animi  
demissionem, qua fortè continetur vna,  
spiritualis nostri profectus summa, nihil  
æquè confert, atque hæc aliorum qui-  
bus-

buscum degimus aut versamur, præstanti virtute præditorum, cum nostra tenuitate & exilitate, ne dicam morum peruersitate, facta comparatio. Qui plenissimè intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspiciere, qualis non est, vt ex bonorum forma metiatur, quanto ipse deserto bono deformis existat, & cætera quæ persequitur S. Gregorius. Ex aliorum copia & diuitijs nostra nobis inopia & mendicitas deploranda magis elucet. Quod est apud S. Bernardum de quodam Monacho, eoque laico, qui se ad eius pedes abijciens, cum magna confusione seipsum accusabat: v̄ æ mihi quã fratrem vnum hac nocte considerau, in quo triginta virtutes numerau, quarum ne vnã quidem in me inuenio; ad humilitatis comparandæ studium referri potest & debet à Sodalibus, vt suos præ oculis ferant defectus, aliorum virtutes; contra, defectus aliorum occultent, virtutes proferant. Vt ille ait proprium esse stultitiæ aliorum vitia cernere, suorum obliuisci: ita sapientiæ proprium est aliorum virtutem in oculis ferre, suarum ob-

24. Moral.  
vul. 6.

Serm de  
altitudine  
& bassitudine  
cordis.

Tullius Tuscul. l. 3.

200 DE BONO SODAL. PARTH.  
liuisci. Quo in genere exercitatissimus e-  
rat ipse Bernardus. Alium, inquit, in-  
tueor singularis abstinentiæ, alium verò  
patientiam admirandam, alium autem sum-  
mæ humilitatis & mansuetudinis, alium  
multæ misericordiæ & pietatis, istum in  
contemplatione frequenter excedere,  
hunc pulsare cælos orationum instantia,  
aliosque in alijs præeminere virtutibus:  
hos inquam considero omnes feruen-  
tes, omnes deuotos, omnes donis cale-  
stibus & gratia affluentes, tanquam spi-  
rituales reuera montes, qui à Domino  
visitentur. Ego autem, qui horum in me  
inuenio nihil, quid me aliud putem,  
quàm vnum de montibus Gelboës, quæ  
præterit in ira & indignatione sua ille  
ceterorum benignissimus visitator? Ad  
eum modum dum se luget virtutibus ijs  
destitutum Parthenius Sodalis, quas be-  
nignissimæ Matris beneficio videt in ce-  
teris efflorescere, vt ab ea quoque cle-  
menter visitetur, in clamet: *Reuertere, re-  
uertere Sulamitis, vt intueamur te, reuertere,  
reuertere*, vt eius intuens exempla virtu-  
tum moribus exprimat, alijsque, & ali-  
quan-

Cant 6.  
v. 12.

LIBER I. CAPVT XXIII. 201  
quando Sodalibus seipsum præbeat imi-  
tandum.

CAPVT XXIII.

*De communione bonorum operum.*

**Q**Vam profitemur in Symbolo san-  
ctorum communionem, maximè  
latè patere, atque Ecclesiam vniuersam  
militantem & triumphantem, & animas  
quoque fidelium Purgatorij carcere de-  
tentas complecti, notissimū est: ad quas,  
ea quoque meritorū Ecclesiæ participa-  
tio deriuetur. Verūm, vt in corpore que-  
dam sunt membra sibi viciniora & con-  
iunctiora; in magno imperio plures pro-  
uinciæ ac ciuitates, quibus certæ sunt le-  
ges municipales, certa iura, & arctioris  
coniunctionis vincula; ita in Ecclesia v-  
niuersali, & congregatione Christi fide-  
lium, militante etiam in terris sub vno  
capite summo Pontifice Romano Chri-  
sti Vicario, multæ sunt Ecclesiæ, & con-  
gregationes particulares, quæ suos ha-  
beant Principes, & Pastores, Archiepi-  
scopos,

202 DE BONO SODAL. PARTH.  
scopos, Episcopos; & multi sunt Ordines Religiosi, quos administrant Prepositi Generales, tum alij subordinatis gradibus varij Rectores, Custodes, Priores, vt variè nuncupantur. Multæ quoque piorum Sodalitates, nullis quidem votorum vinculis adstrictæ, suis tamen legibus atque institutis ad posteritatem stabilitæ, & ab Apostolicâ Sede comprobate; quarum vti est particularior & arctior coniunctio, ita maior est bonorum operum communio & participatio. Hæc etenim meritorum communio, ex ipsa eorum, inter quos inita est, societate & coniunctione promanat; neque ad alios pertinet, qui extra eam censeantur. Quare cum Parthenia Sodalitas ad Religiosum Ordinem accedat quàm proximè, meritorum & bonorum communio operum, quam affert, persimilis est illi, quæ in Ordine Religioso reperitur. Quænam verò sit ea communio, & qua ratione peragatur, vti euadat apertius, illud tenendū est, quod Theologi communiter docent, in quouis pio & sancto opere tria quædã inesse lucra & emolumenta,

ra, meriti, satisfactionis & impetrationis.  
 Quidquid ab homine, qui Dei gratia &  
 caritate præditus sit, ex ea rectè geritur  
 ad Dei gloriam, omne eius virtutis opus,  
 eò quòd ab homine iusto in Dei gratia  
 promanet, eiusdem gratiæ imprimis ac-  
 cessionem & augmentum promeretur,  
 cui deinde pari mensura in cælo merces  
 gloriæ respondeat. Quot gradibus aucta  
 constabit gratia, tot ex æquo gradibus  
 gloria rependetur. Sed hoc commodum  
 proprium est dumtaxat illius, qui boni  
 operis auctor extiterit atque effector, vt  
 in alium transfundi ac deriuari non pos-  
 sit. Vnus Christus Dominus, vti caput &  
 princeps humani generis, hominū me-  
 diator, eò quòd natura Dei filius esset, a-  
 lijs gratiam & gloriā promereri potuit.  
 hoc eius vnus est prærogatiua singula-  
 ris: reliqua autem duo commoda &  
 bona, satisfactionis & impetrationis, a-  
 lijs quoque proximis possunt commu-  
 nicari. Satisfactio pertinet ad exsoluen-  
 dam, quæ remissâ superest culpâ, pœ-  
 nam, vel hac in vita, vel in Purgatorio  
 certè luendam. Impetratio est præ-  
 sen-

sentis alicuius boni, seu temporalis, seu spiritualis, ac maximè subsidij eius gratiæ, quam vocant actualem, qua opus habet pœnitens ad resipiscendum, iustus ad rectè agendum, & in iustitia perseuerandum. quidquid enim agitur, quod Deo gratum est & acceptum, non præteriti modò operis remunerationem, sed certam etiam opem in futurum, exigat ad perseuerandum & progrediendum in virtute, ad resistendum aduersario, ad comprimendas cupiditates, ad dura & aduersa toleranda, ad omnia, quæ saluti conducunt, obtinenda. Vtrūque hoc lucrum boni operis, satisfactionem & impetrationem quisque pro voluntate in alium deriuare & transferre potest. quod præclarum est liberalitatis & munificentiaæ genus, dum suas quis opes spirituales quæ sunt omni pretio superiores, ex charitate condonat alteri. quòd si expresso voluntatis actu nemini donet, nec ipse eis egeat, naturali velut consecutione, in eos, qui sunt ei proximi, qui eadem fuerint vitæ societate, aut alia ratione quàm maximè coniuncti,

trans-

transferuntur. ac quo fuerit ea maior  
 arctiorque coniunctio, eo quoque ma-  
 iorem bonorum operum participationē  
 esse necesse est. Etsi non est eadē, inquit  
 D. Leo, membrorum omnium pulchri-  
 tudo, nec in tanta varietate partium, me-  
 ritorum potest esse parilitas; communio-  
 nem tamen obtinet decoris connexio  
 charitatis in sanctitatis amore cōsortes:  
 etsi non eisdem vtātur gratiæ beneficiis,  
 gaudent tamen inuicem bonis suis, &  
 non potest ab eis extraneum esse quod  
 diligunt, quia incremento ditescūt pro-  
 prio, qui profectu lætantur alieno. Quē-  
 admodum in benè morata domo, quid-  
 quid frater acquirit, non sibi soli, sed a-  
 lijs fratribus acquirit. in mercatura si qui  
 societatem inierint, & in commune ca-  
 pitalem summam contulerint, aut vnus  
 pecuniam, alter laborem & industriam,  
 lucrum in commune redit, atque inter  
 omnes proportionē quadam diuiditur:  
 sic & multò magis inter eos socios &  
 fratres, qui spiritali vinculo Sodalitatis,  
 sub auspicijs Deiparæ copulati fuerint,  
 spirituales eorum quæstus, & rectè facto-

*Serm. 10. de  
 Quad.*

Col. 1.

In psal. 61.

rum utilitates, ad omnes communi-  
 ter pertinebunt. Apostoli locum il-  
 lum, *Vt suppleam quæ desunt pressurarum  
 Christi, in carne mea,* ut eum legit tra-  
 ctans S. Augustin. Qui passus est, inquit,  
 in capite nostro, & patitur in membris  
 suis, id est, in nobis ipsis ad communem  
 hanc quasi rempublicam. nam quisque  
 pro modulo nostro exsoluimus quod  
 debemus, & pro posse virium nostrarum,  
 quasi canonem passionum ipsius para-  
 toria plenaria. Passionum omnium non  
 erit finis, nisi cum sæculum finitum fue-  
 rit. Verum in illa communi republica  
 specialem hanc Sanctissimæ Matris rem-  
 publicam nunc spectamus, in cuius ara-  
 rium commune, quotquot in eam adsci-  
 ti sunt, pro mensurâ & posse virium sua-  
 rum, quisque canonem passionum, satis-  
 factionum & impetrationum inferre de-  
 bet paratoria plenaria; quæ non tam  
 Regi Reginaque nostræ cedant, qui ni-  
 hil egeant, quam nobis ipsis, & cæteris  
 quibus domi res angusta, pluresque cul-  
 pæ quam satisfactiones, plura peccata  
 quam rectè facta. tum ad actualis gra-  
 tiæ

tiæ subsidia cumulatè obtinēda, quibus  
subsidis salus omnis nostra nititur &  
continetur. Quod dictum non semel,  
sæpiusque dicendum, communio hæc  
sanctorum, ac bonorum operum parti-  
cipatio non hanc modò terrestrem &  
militantem, verùm & illam cælestem ac  
triumphantem Deiparæ Sodalitatem  
complectitur: atque imprimis Sodalita-  
tis ipsius principem Deiparam, quæ cùm  
caruerit omni culpa, aut quidquam ha-  
buerit expiandum, omnia verò actualis  
gratiæ præsidia vltro ei deferrentur à  
Spiritu sancto, mentem eius inhabitante  
ac dirigente, vti decebat Dei Matrem,  
illi perpetuo quodam adhærebat amo-  
ris æstu, nec vllam augendæ gratiæ præ-  
termittebat occasionem; sed in omni-  
bus dictis, factis, cogitatis conduplicato  
semper eam adaugebat incremento, vt  
tamen nobis clientibus, & quibus appli-  
cita vellet, salua semper manerent reli-  
qua duo rectè factorum emolumenta,  
satisfactionis & impetrationis: neque  
enim ipsa indigebat, sed in nostram  
cedebant vtilitatem. Quapropter im-  
men-

mensum planè cumulum satisfactionū,  
& orationum vim propemodum infini-  
tam in Ecclesiæ ac Sodalitatis ærarium  
commune censenda est cōtulisse. In am-  
plis familijs euenire solet, vt primogeni-  
tus maioratu suo, paterna sit hereditate  
contentus; dos verò materna minores  
inter filios dispertiatur, vnde tenui ad-  
modum censu respersi esse solent, quòd  
materna dos angustior esse consuevit. In  
hac Deiparæ cæli Reginæ familia non  
modò primogenitus eius Saluator pri-  
mogenituræ iure contentus est, sed in  
eiusdem hereditatem minores omnes  
fratres lubèter aduocat atque admittit.  
de dote verò materna nihil omnino sibi  
sumit, eamque planè permittit; quæ dos  
longè est amplissima meritorum ac sa-  
tisfactionum, quæ tota nostra est, de qua  
nos confidentiæ plenos plurimum exul-  
tare conuenit. Accedunt & quàm pluri-  
ma rectè facta Sodalium, qui iam ex vi-  
uis excesserunt, ac cum Deipara regnant  
in cælis. quæ merita & rectè facta in  
hoc commune Sodalitatis ærarium con-  
tulerunt, ac veluti pro legato consigna-  
runt.

runt. quòd sitamen laborare possit hoc  
ærarium inopia (quod vix omnino fieri  
potest) ex infinitis Saluatoris filij sui  
meritis clementissima Mater ad sola-  
tium subsidiumque suorum clien-  
tum abundè mutuabitur & elargie-  
tur. Nam eos filii sui thesauros merito-  
rum ipsa habet in potestate: etenim iis  
à filio præfecta est summa cælestis regni  
thesauraria & eleëmofynaria, imò iure  
quodam suo dispensatrix; cùm illum  
ipsum filii sui cruorem, qui fuit redem-  
ptionis nostræ pretium, de suo suppedi-  
tarit, ad eamque salutem peragendam  
tam multiplicem pro sua virili contule-  
rit operam. Verùm ipsa per se Virginis  
Mariæ, vti dixi, merita, & multitudine  
propemodum sunt infinita, & valore  
& pretio immensa, quæ à primo eius  
conceptu ad extremum vsque spiritum  
conduplicata semper sumplerint incre-  
menta. Horum igitur tuorum respectu  
meritorum, ô Beata Mater, omnium-  
que Sodalium toto orbe terrarum tibi  
famulantium, imò & in cælistecum re-  
gnantium, oblitterentur pœnæ peccato-  
rum

210 DE BONO SODAL. PARTH.  
rum nostrorum: tum oportuna, con-  
grua, efficacia gratiæ subsidia nobis à fi-  
lio Salvatore benignè largiterque con-  
ferantur.

C A P V T XXIV.

*De profectu in studijs litterarum.*

**P**Artheniæ Sodalitatis finis est virtus  
imprimis & pietas Christiana, tum  
verò & in litterarum studijs progressio,  
ad quam maximè confert Academia,  
quæ & ipsa Parthenia est; in quam quot-  
quot sunt de congregatione Beatæ Vir-  
ginis eo ipso recensentur, ad repeten-  
das prælectiones, aliasque litterarias ex-  
ercitationes instituta. Cuius sanè sym-  
bolum istud in vrbe Magnetis sursum  
humo circulorum atque annulorum  
ferreorum inter se nexorum ordine pul-  
cherrimo seriem ad se trahentis, Deiparæ  
recordationem ingerit animos nostros  
in star ferri duros atrosque ad se attrahē-  
tis, aliosque alijs mirabili quadam vi  
charitatis innectentis. Confert & ad stu-  
dio-

diorum profectum haud mediocriter animi quies atque tranquillitas, quæ pacatâ totius vitæ confessione conscientia, compressis animi passionum motibus turbulentis, studioque virtutum assiduo comparatur. Confert & temperantia, parcaque victus ac potus. Nam venter pinguis subtilem sensum minimè gignit, & crassioribus cerebrum vaporibus obfuscatum, vt in cœnoso fonte, verum perspicere non sinit. Confert & castitas, auctore ipso Auerroë Philosopho profano, singulariter ad scientias speculatiuas acquirendas. Quæ omnia litterarum præsidia cumulatè à Sodalitate suppeditari notissimum est. Tum verò ad moderatam in studijs contentionem, laboremque indefessum firma opus est valetudine, quæ ab ipsa quoque studiorum præside Sanctissima Matre multis precibus efflagitanda est; vt is labor studiorum, omniaque nostræ mentis exercitia, ad maiorem eius filij Saluatoris gloriam referantur. Sed nihil æquè confert ad hunc profectum atque illustrationis opisque diuinæ subsidium, quod opti-

optima Mater suis solet impetrare clientibus, qui piè illam atque assiduè moderatricem atque ducem studiorum suorum inclamant, orantque Deum, uti per eam, quæ est maris stella clarissima, fulgidaque aurora, Deus illuminet illorum mentis tenebras, lucernam tenuissimæ rationationis illustret. eaque magistra non possunt non & in virtutibus, & in litteris eximios progressus facere. Habitat in consilio sapientiæ mater, interest, & planè præest eruditæ cogitationibus, ut pro falsa illa scientiarum præside Minerua, à doctis omnibus inuocandam & colendam doceat Isidorus. multorumque virorum doctissimorum experimento comperum est, grauissimas Philosophicarum & Theologicarum quæstionum difficultates illâ inuocatâ superatas, maximeque implexos nodos egregiè explicatos & dissolutos. Sed & litteraturæ politioris clarissimum lumen Iustus Lipsius de se testatur: A prima adolescentia Diuæ Virginis amorem & cultum indui, eamque patronam ac ducem mihi

*In D. Virg.  
Hallenf.*

in

in periculis, in molestiis, in omnivita  
 cursu elegi, etiam in studijs; & si quid ac-  
 curatius pangendum, aut dicendum pu-  
 blicè esset, vbi famæ vel memoriæ res  
 agebatur, precibus ac votis ad eam iuisse  
 me fateor, & felici ferè successu. Itaque  
 vt primùm licuit, in Sodalitium eius no-  
 men etiam dedi, cui Patres Societatis Ie-  
 su præsident diriguntque. Id ipsum & a-  
 lijs recentibus quidem exemplis com-  
 probare possem: sed pleniora sunt & il-  
 lustriora vetustiora quæ referam. Her-  
 manus Contractus sic dictus, quòd ab  
 ineunte ætate membris omnibus ca-  
 ptus esset, cùm ex nobili genere Co-  
 mitum de Werigem ortus in Sueuia, S.  
 Benedicti disciplinam post complexus,  
 clementissimam Matrem multis quoti-  
 die precibus fatigaret, eum vellet ab eo  
 morbo liberare; apparuit illi clarissimâ  
 luce circumfusa Virgo, optionemque  
 detulit, aut, recuperandæ valetudinis,  
 aut scientiæ rerum diuinarum humana-  
 rumque, & maximè Scripturarum asse-  
 quendæ. cùm hoc postremum, vti de-  
 bebat, priori prætulisset, ex eo tempore,  
 cùm

*Trithem.  
 lib. 2. de vi-  
 ris illustri-  
 bus c. 84.  
 anno 1060.*

cùm esset antea rudis, adeò in omni genere doctrinæ excelluit, uti parem non haberet in Philosophia, Astronomia, Musica, Poësi, tum in sacrarum quoque Litterarum intelligētia, & trium linguarum peritia, Latinæ, Græcæ & Arabicæ, (cuius tum multus erat vsus, magnaque celebritas) nemini secundus existeret. Existimatur hic auctor illius piissimæ ab Ecclesia frequentatæ anni maxima parte Antiphonæ *Salve Regina*: quæ sanè viri pietatem in Virginem Matrem non obscure demonstrat. Ex eodem Ordine D. Benedicti Rupertus Abbas Tuitien-  
 sis cùm tardiore esset ingenio, nihilque magnoperè magna studij contentione proficeret; Deiparam assiduis precibus rogare institit, à Christo filio, qui fons est sapientiæ, lumen sibi intellectus, & diuinarum Litterarum intelligentiam impetrare vellet. Audiit supplicem suum clementissima Domina, ei que se visendam præbens, Ecce, inquit, quod à me postulasti, assecutus es: sacrarum Scripturarum omnia tibi deinceps arcana patebunt. sed vide, ne torpeas otio, talentū-  
 que

*Sub anno  
 1020. Tri-  
 zems, c. 109*

que in terram defodias: aliaque addidit, quæ Rupertus exprimere ausus non est. ita plenum diuini solatij reliquit, vsque adeò Scripturarum incensum studio, vt bonam quoque noctis partem de necessaria detrahens quiete, consueuisset impendere. Sed maximè est illustre quod de Alberto Magno commemoratur: cū à prima ætate Virginis perquam studiosus extitisset, ei rite quotidie precationū pensum persoluebat, eiusque potissimū impulsu creditur Ordinem S. Dominici Religiosum ingressus: sed cū in eo daret operam litteris ac Philosophiæ, quòd hebeti esset ingenio, nullaque memoria, non capiebat assidui sui laboris fructum, adeoque subinde deiiciebatur animo, vt de ipso Religiosæ vitæ deserendo instituto magnoperè fluctuaret. Nocte quadam in eo cogitationum conflictu, per quietem sibi visus est discessum tandem ab Ordine constituisse, & dum scalas videretur admouere, aut, vt referunt alij, per scalas ad domus ianuam contendere, quatuor ei nobiles eleganti specie virgines obuiam venere,

*Ferdinādus  
Castillo  
1. part.  
Chron. Do-  
min. l. 3. c.  
45.*

à quibus ne progredereetur, inhibitus, tum ab earum vna rogatus, curabitum pararet? & ille desperationem in studijs, ingenijq; sui tarditatem attulisset, blandè illum solata & hortata est, vt à Dei Matre, quæ mox adesset, cuius ipsæ essent pedissequæ, certam opem flagigaret atque expectaret. Adfuit Diua Mater, ad quam perductus Albertus. cum illa quæsiisset, quanam in scientia potissimum excellere vellet? qui aliam non nossent, & cui tum operam dabat, In humana respondit Philosophia. Fiet, inquit, Deipara, quod petisti; sed quia scientiam hanc filij mei scientiæ, Philosophiam Theologiæ prætulisti, tum vt intelligas te id meo munere, non tuo affectum ingenio, sub extremum vitæ tempus, ad priorem regredieris in scitiã, & disciplinarum obliuionem. Res, vt Deipara prædixerat, euenit. Cùm in publico confesso, nescio quem è cathedra locum explicaret, subitò eum defecit omnis memoria, hocque ipsum, quod sibi contigisset adolescenti, palàm auditoribus cùm narrasset, exscendit è cathedra,

dra, domumq; à discipulis velut in obitu collacrymantibus, deductus, quod reliquum fuit vitæ, pietatis exercitijs orationique impendit, ad proximum se comparans ex hac vita digressum. Quod ipsum Deiparæ in Albertum singulare censeatur à me beneficium. nam quò pertinet omnis studiorum nostrorum contentio? quò referenda omnis Philosophia? nisi vti rectè discamus emori, vt ad extremum illum diem expeditis conscientia rationibus bona spe sempiternæ vitæ paratiores euadamus, ipsa quoque tum maximè patrocinate Dei Matre. Ab ea igitur, vt hoc quoque beato fine studia nostra concludantur, expetendum.

## CAPVT XXV.

*De certo genere vitæ ac statu deligendo.*

**O**Mnium deliberationum hæc vna deliberatio grauissima est, cui rotius vitæ cardo, & deinceps agenda vitæ ratio nitatur. Ex qua plurima commoda,

K

G

si rectè deligatur vitæ status, incommoda & errores maximi, si secùs, oriantur. in qua deliberatione si quid peccetur, veluti iacto perperam fundamento, facta superstructione nihil remedij possit afferri. In ceteris negotijs si quid est prætermissum aut ignoratum, non tam late patet id damnum, & ferè commutato consilio reparari potest: in hoc si quid erretur, totam deinceps agenda vitæ rationem aberrare necesse est. Quare deplorandi sunt quàm plurimi iuvenes, qui rem eam omnium maximam quæ maximo eget consilio, sine vlla cura pertractant, nullo adhibito delectu, nullo consilio, ne diuino quidem Numine implorato; quod quisque adamarit, id arripit vitæ genus, quodcumque & qualecumque, quod ei fors obtulerit, aut ad quod eum voluntas parentum, aut coequalium exemplum, aut nescio cuius spes vtilitatis impulerit. Neque mirandum, si multos huiusce temeritatis serò pœniteat, & quod caput est, si multi ad æternam vitam, quæ præsentis vitæ, totiusque huius deliberationis scopus esse

de-

debet, aditum sibi propemodum intercludant, difficiliorem certè reddant & vehementer impeditum, quando priùs eo vitæ genere sese implicari patiantur, quàm quod sit certissimum sibi que accommodatum, peruidere potuerint. Recens, sed locuples auctor in illa verba Prouerbiorum 8. 3. *In medijs semitis stans*, id est biuiis ac triuiis, quando plures in vnum concurrentes semitæ viatorem ancipitem reddunt, ait Deiparam mediam stare inter hasce semitas, vt in optimam inferat dirigatque. Satis imprudenter, ne dicam temerariè, agit, qui statum, seu rationem agenda vitæ electurus, inter multas vitæ conditiones, quasi inter vias transuersas, constitutus, non statim Mariam inuocat, & ab ea discit quamnam ingrediatur, cui se potissimum cõmittat. nam quemadmodũ veteres in triuiis Dianæ seu Hecates simulacrum erigere solebant, vt iter agentes regeret, atque illis vias denuntiaret: ita Deus opt. max. in intellectualibus dissimilium vitæ rationum triuiis Mariam statuit, vt cuique eam denuntiet osten-

Quirinus  
Salazar.  
Prou. 8. 3.

datque viam, quæ illum securo tramite  
in patriam, hoc est in cælum, deducat.

*Ambr. l. 1.  
offic. 44.*

Vnusquisque suum ingenium nouerit, &  
ad id se applicet quod sibi aptum elegerit.  
Quapropter ante decursum Philoso-  
phiæ stadium, cuique Parthenio Sodali  
suscipienda ferè hæc deliberatio, atque  
omni cura, diligentia, industriaque die-  
rum aliquot certo spatio pertractanda,  
adhibitâ in consilium imprimis Sanctis-  
simâ Patronâ, ac per eam multis preci-  
bus implorata cælesti luce ad Dei volû-  
tatem explorandam, quæ ad sempiter-  
nam felicitatem via sit ineunda, quæ  
certa vitæ ratio atque institutio suscipi-  
enda, quæque maximè diuino Numini  
sit placitura. Hæc enim vna Dei volun-  
tas præcipuè spectanda est, neque est in  
potestate serui, cuiusmodi nos omnes  
sumus, vt in domo heri sui eum ordi-  
nem ac statum accipiat, quem ipse velit,  
sed quem Dominus decernat ac præscri-  
bat. B. Aloysius Gonzaga cum in Regis  
Hispaniarum aula honorarius ephæbus  
annû ageret ætatis xv. quæ iam tum erat  
prudencia, iudiciûque maturitate, hanc  
de-

deliberationem maturè ingressus, existimauit se, quod esset Dei beneplacitum super eare, per Sanctissimam Virginem Deiparâ cognoscere posse. Quare quod interiecto dierum aliquot spatio proximè imminebat gloriosæ eiusdem in cælos Assumptionis festum, consulto Patre confessario delegit, ad quod præmissis pœnitentiis, varioque piarum exercitationum apparatu se disponderet, vti eo die per Patronam suam diuini Numinis voluntatem exploraret, quod sibi maximè salutare oportunumque ad suam salutem, & Dei gloriam, vitæ sequendum foret institutum. Nec eum sua spes fefellit. Nam sub sacrâ Eucharistiæ perceptionem, expressa de cælo ad eum delata voce monitus est, vt Societatem Iesu ingrederetur. Sed non omnibus ea contingit tam explorata ac liquida diuinæ voluntatis significatio: neque semper expectandum, dum miraculo Deus eam indicet, aut è cælo delabatur Angelus, qui nos omni eximat dubitatione. Non enim omnibus eæ contingunt miraculosæ vocationes: sed adhibendū præ-

ter assiduas ad Deū preces fusas, innatæ nobis intelligentiæ lumen, diligēs & at- tenta ratiocinatio, quæ fidei quoque lu- ce collustretur, ac certissimis eius princi- piis axiomatisque dirigatur, qua quod institutum vitæ potissimū sibi condeat ad Dei gloriam, & animæ salutem, at- tentiūs quisque disquirat, & secum dis- cutiat. Componendus imprimis ani- mus est ad maximam tranquillitatem, & quoad fieri poterit, equabilitatem, vt ni- hilo plus in vnā quā in alteram par- tem propēdeat. Deinde ponendus ob o- culos finis creationis nostræ, in quem om- nis vita nostra referenda est, cuius cau- sa cōditi sumus, extremus scopus actio- num nostrarum: qui non est alius, quā vt Deum conditorem nostrum agnosca- mus, amemus, colamus, ei que obsequē- tes, salutem aliquando consequamur æ- ternam. Tum varia institutorum genera, variique modi vitæ, in coniugio degēda, cælibatu sæculari, Ecclesiastico sacerdo- tio, Religioso Ordine, in hac aut ista fa- milia, implorata cælesti luce, diu multū- que expendendi, & cum illo extremo fi-  
ne

ne componendi; quid in singulis præli-  
 dij in sit & adiuventi, quid contra impe-  
 dimēti, & incommodi, quod vitæ genus  
 ad eum finem consequendum maximè  
 opportunum; & tum ex ipsius, tum ex no-  
 stra natura perpētis omnibus aptum præ-  
 cipuè & accommodatum attentissima  
 cura est exquirendum. Ac quoniam hu-  
 manæ prudentiæ minimè est fidendum,  
 præsertim in ijs rebus, quæ nos attingūt,  
 in quibus amor proprius ferè caliginem  
 offundit, exquirendum quoque Patris  
 confessarij, aut alterius intelligentis &  
 probi viri iudicium; sed præcipuè mul-  
 tis precibus per Virginem Matrem lux  
 cælestis imploranda: dignetur diuina  
 bonitas ac clementia per Deiparam ex-  
 orata, mentem nostram illustrare, ac pro-  
 pellere eò maximè voluntatem nostram,  
 quò fuerit ad eius gloriam nostramq; sa-  
 lutem tendendum & propendendum.  
 Duo ferè sunt tempora, & quæ iis respō-  
 dent, duo diuinarum vocationum gene-  
 ra, duplexque modus explorandi diuinā  
 voluntatem pro duplici facultate men-  
 tis nostræ intelligendi, & appetendi. v-

num pertinet ad hanc voluntatem ex vario diuersorum spirituum impulsu, varioque consolationum aut desolationum experimento, cum in precatione versamur, aut à percepta S. Eucharistia nobiscum attentius hoc ipsum de statu deligendo ex Dei voluntate consilium agitamus. Negat Aristoteles deliberandum, cum à superiore principio permouemur: ad instinctum diuinæ mentis, quæ planè superior est & melior, humanæ ratiocinationis imbecille consilium non est adiendum: cum mentem infederit diuina consolatio, quò tum nos impelli ac propendere senserimus, id maximè sequendum videtur, & existimandum id aliquod diuinæ volūtatis præiudicium. Sed quia tamen Angelus Satanæ nonnumquam sese transfigurat in Angelum lucis, ipsque immiscet instinctibus; planè certius tutiusque fuerit, si & alterum accedat tempus, aliudque vocationis genus ad intellectum pertinens, cum adhibita ratiocinatione, perpensisque vtriusque incommodis & commodis, quid agendum sit decernitur. Quod tempore consolationis

nis

nis diuinæ captum erit consilium, id probandum; contrà quod desolationis, improbandum. Nam consolatio à bono est spiritu, desolatio à malo. tum versatur in luce & quiete, cùm affluit consolatio; cùm opprimit desolatio, in tenebris est & perturbatione. Sed longè certius tutiusque est id consilium, si hoc idem ipsum in tranquillitate mentis, exactoque momentorum ac rationum vtriusque facto examine comprobatum fuerit. In promptu sunt & alia quædam obuia, quibus id ipsum cõfirmare liceat, argumenta. Si quis tibi vir ignotus, cui tamen nihil non cõmodi ac perfectionis optare debeas, hac in deliberatione dubius & anceps occurrat, quod illi dares omnino cõsiliij, spectatâ Dei gloriâ, eiusque salute, id tu tibi consiliij capias. Cùm nemo sit in sua causa satis æquus iudex; transferenda est eadem causa in alienam personam, in qua nulla cuiuscumque minùs recti affectus suspicio cadat. Deinde si mors ingrueret, & iam subeunda foret; quod in hac deliberatione secutus esse, quod statuisse velis, id modò sta-

tue & sequere. Mors optimus consilia-  
 rius planè incorruptus. Denique cùm  
 pro tribunali diuino iudicandus susteris,  
 cùm erunt totius vitæ rationes reddendæ,  
 quo te velis vsurum esse consilio, hoc  
 nunc vttere, & ex illa futuræ vitæ statera,  
 ex beatæ aut miseræ æternitatis libra,  
 quicumque in deliberationem caderet,  
 vitæ statum pondera & dijudica: id age  
 quod per omnem æternitatem egisse  
 voles. Ad extremum in omni hac deli-  
 beratione ad Patronæ tuæ certissimam  
 fidem atque opem confugito, illam in-  
 uoca stellam maris clarissimam Cynosu-  
 ram, vt sæculi huius enauigato mari, fa-  
 cili ac felici cursu portum sempiternæ  
 felicitatis ac salutis aliquando teneas.  
 Rectè Bernardus, Mariam cogita, Ma-  
 riam inuoca, non recedat ab ore, non re-  
 cedat à corde. ipsam enim sequens non  
 deuias, ipsam cogitans non erras, ipsâ  
 duce non fatigaris, ipsâ propitiâ per-  
 uenis.

*Homil. 3.*

*Super Mis-*  
*sericordiam*

## CAPVT XXVI.

*Sodalitas, & Deiparæ cultus, indicium  
est diuinæ prædestinationis.*

**Q**uodcumque vitæ genus atque institutum sit complexus Sodalis, ei certè in Deiparæ cultu, & Sodalitatis institutorum obseruantia perseuerandum est; cùm nullam suæ salutis certio-  
notam, diuinæque electionis tesseram a-  
pertio-rem habere queat, quàm suum hūc erga Sanctissimam Dei Matrem ex-  
imia pietatis affectum. Nemini quidem absque speciali Dei reuelatione, vti de-  
finit Tridentinum, suæ salutis ac præ-  
destinationis certitudo contingit; tamē  
signa quædam atque indicia colligun-  
tur, quibus in illius spem propè cer-  
tam adducamur. Quando, inquit Ber-  
nardus, sine testimonio electos suos de-  
ferat Deus? aut quænam eis poterit esse  
consolatio inter spem & metū fluctuan-  
tibus, si nullum omnino electionis suæ  
testimonium habere merentur? Nouit

*Sess. 6. c. 12.*

*Serm. 2. in  
Ost paschæ.*

Dominus qui sunt eius, & solus ipse scit,  
 quos elegerit à principio. Quis verò scit  
 hominum, si est amore dignus, vel odio?  
 Quòd si certitudo nobis omnino nega-  
 tur, numquid non tanto delectabiliora  
 erunt, si quæ fortè electionis huius si-  
 gna possimus inuenire? Sanè quo occul-  
 tiora, eo delectabiliora, quoque maioris  
 rei, quæ certè est omnium maxima, eo  
 maiore studio omnia illius vestigia &  
 indicia peruestiganda. Hæc Bernar-  
 dus ad extremum sermonis tribus illis  
 capitibus includit: Si contines à pec-  
 catis, si dignos agis pœnitentiæ fructus,  
 si facis opera vitæ. Quorum trium exer-  
 cendorum quàm amplam ac frequen-  
 tem suis legibus atque institutis Sodali-  
 tas oportunitatem tribuat, non est ob-  
 scurum. Sed alia propria ex ipso Deipa-  
 ræ cultu, deducenda sunt. Atque imprimis  
 Mater electorum, Mater viuētium,  
 Mater misericordiæ, vita, spes nostra,  
 Deipara nuncupatur, Mediatrix ac re-  
 paratrix generis humani secundum ac  
 per filium Saluatorem, cui sit addita co-  
 mes in ea reparatione, vt primo parenti  
 Adamo

Adamo in ruina & lapsu fuit adiutrix atque impultrix Eua infelicissima. Quare uti per Adamum & Euam interijimus, ita per Christum & Sanctissimam eius parētem Mariam instauramur. Neque improbanda complurium Theologorum ea sententia, quæ prædestinationem nostram & electionem de communi perditionis massa, primorum parentum peccato damnata, factā imprimis per Christi Domini nostri merita, tum per Beatæ quoque Marris preces, asseuerat: habitam rationem à Deo tum meritorū Christi Domini, tum Sanctissimæ quoq; Matris eius orationum, quæ tum in illius cōspectu ab ipsa primitus æternitate versabantur. Subsidia sanè gratiæ congruæ & efficacis, quibus æternam salutē electi consequuntur, & optatum perseueratiæ donum attingunt, à clementissima Matre suis obtineri ac conferri clientibus haud dubium videtur: atque ea præcipuè causa est nostræ aduersus eam confidentiæ, cur in eius materna beneuolentia ac bonitate plurimū spei reponamus, quòd, quā est in suos clementiā, perget

porrò magnam vim subsidiorum gratiæ excitantis & adiuuantis à Salvatore filio, cùm erit oportunum, efflagitare. quæ Saluator vltro etiam deferat, pro ea, qua aduersus amantissimam Matrem pietate & obseruantia ducitur, deprecantem pro seruis Matrem numquam omnino Deus filius repellet: ipsa verò benigna Mater, si piè perseueranterque fuerit inuocata, deprecationem ac gratiam suam interponere numquam intermitteret. Quod sanctus ille Propheta Sa-

1. Reg. 12.  
23.

muel aiebat Hebræis, tametsi in eum extitissent ingrati atque infensi, *Absit à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam. Igitur timete Dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro: id cultoribus suis multò cumulatiùs præstabit indulgentissima Mater misericordiæ, dux illis in hoc itinere cælesti præitura, & optima planè morum virtutumque magi-*

Prou. 8. 34.

*stra. Beatus, inquit, homo qui vigilat ad me, & obseruat ad postes ostij mei: qui me inuenit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. habet in vltis vitam ipsam, &*

vita

vitæ fontem largitoremque Deum hominem effectum: habet ipsam salutem Iesum Saluatorem, ipsam misericordiam nostram. S. Augustinus in extrema illa verba psal. 58. *Deus misericordia mea*, Non inuenit impletus bonis Dei quid appelleret Deum suum, nisi misericordiam. O nomen sub quo nemini est desperandum! &c. exclamat. Quid ni de Matre misericordiæ, Matre diuinæ gratiæ commemorare liceat? ô nomen sub quo nemini desperandum! cum eam præsertim totâ vna misericordia vindicarit; non, vt in filio iudice, suas quoque partes sibi iustitia reseruarit. Quæramus, inquit Bernardus, gratiam, & per Mariam quæramus: quia quod quærit inuenit, & frustrati nō potest. Nec in nobismetipsis, nec ijs in locis, quibus deperdita fuerit gratia cōperietur, sed apud Deum. At Mariæ ait Archangelus, *Inuenisti gratiã apud Deum*. Inuenta Virgine Maria, inuenitur omne bonum. Qui illam diligit, diligit vitã: & qui vigilauerit ad illã, amplectetur placorẽ illius; siue, vt alij vertunt, malaciam *Idiota.* illius, summam conscientiæ pacatissimæ  
 quie-

quietē, & instar placidi maris serenitatē.  
 Quæ de consequendæ salutis rationibus  
 ac notis vna præstantissima est. Quare

*In speculo.*

D. Bonavent. Clamaui in angustia ani-  
 mæ meæ, & tu serenasti tranquillitatem  
 conscientiaæ meæ. Idem docet nos ean-  
 dem appellare, quomodo coniugem suâ

*Gen. 22.  
 13.*

Saram Patriarcha Abraham compella-  
 bat: *Dic obsecro, quòd soror mea sis, vt bene  
 sit mihi propter te, & viuat anima mea in  
 gratiam tui.* Virgo Maria, inquit Bona-  
 uent. ô Sara nostra, dic obsecro, quòd  
 soror nostra sis, vt propter te bene nobis  
 sit à Deo, & ob gratiam tui viuant animæ  
 nostræ in Deo. Dic, inquam, charissima  
 Sara nostra, quòd sis soror nostra, vt pro-  
 pter talem sororem Ægyptij, id est, dæ-  
 mones, nos reuereantur, & Angeli no-  
 bis coniungantur; insuper Pater, Filius,  
 & Spiritus sanctus, nostri misereantur.  
 Dic agedum, ô Domina nostra Sara, non  
 modò quòd nostra sis soror, sed quòd  
 mater sis, mater spiritu membrorum v-  
 nigeniti filij, mater adoptione atque ele-  
 ctione tuorum clientum, qui te sibi ma-  
 trem adsciuerunt, quibus à filio de cru-  
 ce

cc

ce mater es attributa. Non patiaris filios  
 tuos in æternum perire. Quã Saluator fi-  
 lius ad Patrem vsus est precatione: *Pa-* Ioan. 17.  
*ter sancte serua eos, quos dedisti mihi, vt sint* 21.  
*vnum, sicut & nos. Quos dedisti mihi, custodi-*  
*ui, & nemo ex iis perit, nisi filius perditionis:*  
 sic eadem ad filium clementissima Ma-  
 ter vtetur oratione, custodiet illa nos, &  
 filio quoque custodiendos committet,  
 nisi peruersa atque obstinata voluntate,  
 filij perditionis esse maluerimus, atque  
 ex eius familia Sodalitateque, agente  
 Satana, nos foras ad tradendum prodẽ-  
 dumque filium proripuerimus; quod  
 Iudæ scelus ac parricidium auertat ipsa.  
 Aiebat idem eius filius optimus Pastor: Ioan. 10.  
*Oues mea vocem meam audiunt, velut hac* 27.  
*nota suum gregem electorum insigniret,*  
 in quo & grex eius amantissimæ Matris  
 includitur. Hoc quoque est indicatiũ, eas  
 oues ad Christum filium pertinere, ob-  
 sequi filio, & eius boni Pastoris audire  
 vocem, quòd matris dicto sint audien-  
 tes. Videre est in numerosissimo ouium  
 grege agniculum dissitæ suæ matris tot  
 inter oues agnoscere balatum, ab eaque  
 vi-

vicissim internosci balantem, ut mox ad matris vbera accurrat, sine alio delectu vel consilio, per eum instinctum, quem illi naturæ Deus auctor impressit. Saluator id electis suis inspirasse, atque hunc diuinum instinctum indidisse videtur agniculis suis, ut ad suam, eandemque communem electorum Matrem, Matrem misericordiæ accurrant, eiusque vbera clementiæ ac beneficentiæ caelestis ambient, sub eius vmbra delitescant, atque in eius prouidentia materna conquiescant. Si quidem in Deiparæ familia manserimus, si Sodales inter ac clientes annumerati fuerimus, ad exitum vsque vitæ in Dei gratia ex Sodalitatis instituto rite peractæ, non intercludetur nobis aditus regni caelestis; si ad Reginam regni caelestis pertinere nos intelligat clauiger Petrus, & de numero eius esse famulorum, paradisi portas non occludet, sed ipse, Dominâ iubente, referabit. Ac tamen si præteritæ vitæ conscientia nos remordeat, tamen si nos pungant aculei criminum nondum penitus expiatorum; tamen

men

men ob Deiparæ Matris honorem ac cultum resipiscentibus eueniet quod Abiathar sacerdoti, cui Salomon: *Equidem* <sup>3. Reg. 2. v. 26.</sup> *vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Dei coram patre meo.* Ita nobiscum clementer aget ob hanc arcam Dei cultam à nobis diuinus Salomon, neq; in Matris æqua ac misericordi petitione faciem auertet. Notissimum est, duos illos fratres diuinis Litteris celebratos, Iacob & Esau, duorum populorum, Iacob electorum, Esau reproborum speciem prætulisse, vt ex Malachia citat <sup>Rom. 9. 13.</sup> *Apostolus: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quod ab Isaac parente, Iacob Rebecca matris consilio & ope primogenituræ benedictionem abstulit, indicabat electos præsidio potissimum Sanctissimæ Matris ad aternæ gloriæ benedictionem peruenturos. Nec obscure Deipara verbis ijs, quæ illi soléniter ab Ecclesia accommodantur, ad sese Iacob, id est electos pertinere demonstrat. <sup>Eccl. 24. 1. 13.</sup> *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Israel hereditare, & in electis meis mitte radices.* Quot propè verba

verba, tot eius rei, quam tractamus, ar-  
 gumenta. Quis Iacob? nisi luctator, sup-  
 plantatorq; vitiorum: idem Israel Deum  
 videns, addictus contemplationi rerum  
 diuinarum, cœtus electorum: de quibus  
 sequitur, *In electis meis mitte radices.* eodē  
 v. 15. sensu sunt accipienda: *Et sic in Sion firma-  
 ta sum, & in ciuitate sanctificata similiter re-  
 quieui, & in Ierusalem potestas mea.* quæ ad  
 Ecclesiam, & Sodalitatem per commo-  
 v. 16. dē transferuntur. *Et radicaui in populo ho-  
 norificato, & in parte Dei mei hereditas il-  
 lius, & in plenitudine sanctorum detētio mea.*  
 Sed nullus sit finis, si omnia colligenda  
 sint, vel è Scriptura, vel è Sanctorum Pa-  
 trum auctoritatibus argumenta, quæ à  
 pluribus sunt iam deflorata. Finiam hoc  
 caput, egregio Blosij viri sanctissimi te-  
 stimonio, quod libro, quē inscripsit Di-  
 cta Patrum, inseruit, & sic habet: Planè  
 sub Deo, & Domino nostro Iesu Christo  
 nihil diuinius matre eius intelligi po-  
 test. Huius Virginis Matris bonitas, mi-  
 sericordia, pietas, amicitia, benignitas,  
 clementia, fidelitas, beneuolentia, &  
 charitas erga homines tanta est, vt nullis  
 verbis

verbis explicari possit. Ipsa in potestate,  
 sapiētia, dilectione, & cunctis charisma-  
 tibus, donis, perfectionibus & excel-  
 lentijs supra omnes creaturas benedicto  
 filio suo Redemptori quàm simillima est  
 & proxima. Vnde nullum tam execrabi-  
 lem peccatorem orbis habet, quem ipsa  
 abominetur, & à se repellat, quemque  
 dilectissimo nato suo (modò suam pre-  
 ceretur opem) non possit, sciat & velit re-  
 conciliare. Quamdiu gratiæ tempus a-  
 gitur, nequit benignissimos oculos à mi-  
 seris & pœnitentibus peccatoribus auer-  
 tere: continuas enim pro eis fundit pre-  
 ces, vt germana soror, materque fidissi-  
 ma curam salutis eorum gerit. *Enimuero  
 in aeternum perire non potest, quisquis illam  
 deuotè & perseueranter colit atque inuocat.*  
 O quantum beneficium tibi præstitit  
 Deus, quanto te honore affecit, adde  
 quantam salutis tuæ prærogatiuam de-  
 dit, qui hanc suam genitricem longè  
 pijsimam voluit tuam esse matrem, ad-  
 uocatam, adiutricem & consolatricem!

## CAPVT XXVII.

*De bona & secura morte Sodalium.*

**Q**UOD à clementissima Matre flagi-  
 tamus quotidie frequentius, adesse  
 nobis velit in hora mortis, id non sine  
 causa iustissima, nec spero frustra, flagita-  
 mus. Nam ex ea quidem hora discrimi-  
 nanda est summè felix aut infelix æter-  
 nitas, aut suprema gloriæ cælestis mer-  
 ces, aut inferni flamma, pœnaque omni  
 æuo duratura. Non deerit autem in tan-  
 to discrimine toties, & tantò antè beni-  
 gna Mater inuocata, si non planè eius  
 ope & subsidio nos ipsi indignos peruer-  
 sa mentis impœnitentis obstinatione  
 reddiderimus. Mortem omnium terri-  
 bilium terribilissimum Philosophus esse  
 censebat; cùm vnâ tamen corporis &  
 animæ seiunctionè attenderet, & veras  
 causas, ob quas mors horribilis, pericu-  
 losa & reformidanda est maximè, nō ad-  
 uerteret: supremæ illius horæ discrimen  
 ineuitabile, hostium nostrorum acerri-  
 mas

3. *Ethic. 6.*

mas impugnationes; quodque mox ab  
 animæ digressu consequenter iudicium,  
 & de omni vita ab æquissimo iudice sen-  
 tentia in omnem æternitatem irreuoca-  
 bilis, præmij vel supplicij, mox executio-  
 ni mandanda feretur. Quibus vita valdè  
 iucunda est, eis mortem acerbam esse  
 necesse est; qui ducunt in bonis dies suos,  
 & pacem habent in diuitijs suis, iis non  
 modò mors ipsa, sed mortis omnis ama-  
 ra est recordatio, omnis de morte sermo  
 ingratus & iniucundus: at qui Christia-  
 næ philosophiæ, id est, meditandæ morti  
 sunt addicti, animumque à terrenis re-  
 bus auocantes, emori discunt; reformi-  
 dant illi quidem mortem ex duplici iam  
 allatâ causâ; vel ob ipsum extremum pe-  
 riculi plenum animæ digressum à cor-  
 pore, cui capitales hostes nostri modis  
 omnibus insidias struunt, cui tentationū  
 omnium machinis maximè instant in-  
 festi; vel ob exactissimum diuinæ iusti-  
 tiæ tribunal, cui mox à morte erunt  
 sistendi, totius anteaactæ vitæ ratio-  
 nes accuratissimè reddituri. Est tamen  
 cur magnoperè quoque confidant in  
 hoc

hoc utroque discrimine non defuturam sibi, quam in omni vita sanctissime coluerunt, optimam Patronam. Quæ si interueniat, erunt eius haud dubie tuti ac securi patrocinio. Ab ipso nascentis mundi exordio, bellum hoc inter serpentem cacodæmonem, & mulierem hanc Dei matrem futuram, atque semen adoptionis gratiâ filios indictum est & conclamatum. Iam tum prænuntiatum est, illum calcaneo mulieris insidiaturum, nõ modò sub extremum mundi tempus, cū putatur draco soluendus, sed & sub extremum vitæ cuiusque nostrum, qui ad illam pertinent mulierem. Verum & illud prædictum est, mulierem hanc contrituram illi caput, hac adiutrice & præside concident hostis maligni tentamenta, nihil proficient eius fraudes artesque malignæ, turpiter victus ac fugatus abcedet. Aderit enim benigna Mater, cui quod est in psalm. ritè accommodaris,

*Apoc. 20.*  
3.

*Psal. 34.*  
10.

*Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum. & quod Moyles concinebat, dum eleuaretur arca fœderis, & commodè in extre-*

mis

mis illis precibus in agone de Ecclesiæ  
more & instituto vsurpatur, aduenien-  
te Sanctissima Matre Euangelica fæderis  
arca. *Exsurgat Deus, & dissipentur inimici* Num. 10.  
*eius, & fugiant qui oderunt eum, à facie eius.* v. 35.

Coram Regina cælorū innumeris stipata  
Angelorum choris, non audebunt con-  
sistere tartareæ phalanges, dum ad eam  
extremam horam, ea sumus innocentia  
& puritate vitæ, vt Dei Matris ope ac  
præsentiā non omnino simus indigni.  
Hæc vna de singularibus Deiparæ præ-  
rogatiuis eximia est, quòd suis in morte  
cultoribus numquam frustra subsidio  
veniat, quòd illum discessum ab hac vi-  
ta non modò tutum eis & expeditum,  
verùm etiam facilem ac suauem sua præ-  
sentiā reddat. Quam illa prærogatiuam  
tum est promerita, cùm ad Christi filij  
Saluatoris crucem animo stetit inuictò,  
cùm illum pendentem de cruce & ani-  
mam agentem contemplata, de perfun-  
cto Redemptoris opere gratias egit, ei-  
demque iam tum cultores suos in extre-  
mo agone futuros commendauit, vt eo-  
rum mors filij Redemptoris morte leua-

retur & mitigaretur, adituque caelestis regni patefacto, non tam mors illis quam vitae melioris natalis foret, excessus ex hac caduca & ærumnosa ad alteram læ-

*Prov. 14.*

37.

tam & æternam introitus. *In malitia sua expelletur impius*, quem incogitantem mors opprimet atque extrudet è vita; *sperat autem iustus in morte sua*, quem numquam mors aggreditur inopinato, imò qui magna eius expectatione tenetur atque erigitur, dum se per mortem ab exilio in patriam, à vinculis in libertatem, è naufragio in portum, è terra denique in cælum emigraturum cogitat. Nam de reddendis totius vitae rationibus apud districtissimum Christi filij iudicis tribunal benè nos eadem optima Mater sperare iubet; si frequentius antea, dum adhuc agitur misericordie tempus, eadem comitante & præeunte, ad illud ipsum feuerissimum nos tribunal cogitatione sistamus: si causam nostram maturè pertractari flagitemus, cum adhuc est veniæ & indulgentiæ locus, ne ad illud extremum iustitiæ tempus summumque rigorem indiscussi seriùs aliquid quando

LIBER I. CAPVT XXVII. 243

*Esther 4.15*

quando seruemur. Quisquis ad Assue-  
rum Regem non vocatus adiisset, reus  
erat capitalis iudicij, nisi Rex auream  
virgam in signum clementiæ contra eum  
protendisset. hæc ipsa virga aurea est  
Esther nostra, sine quâ quis audeat in  
conspectum se summi Regis ac iudicis  
offerre? hæc ipsa virga Ioseph saluatoris  
Ægypti, cuius fastigium moriens adora-  
uit Iacob. Mater Dei nostri saluatoris  
sub extremam illam horam adoranda at-  
que inuocanda præcipuè. Hæc illa eadē  
virga Moysis summi ducis ac legislatoris  
nostri, quâ diuidantur rubri maris flu-  
ctus, securumque pateat iter ad terram  
promissam Deitatis clarè conspectæ la-  
cte & melle manantem. Audiuit de cæ-  
lo B. Ioannes: *Scribe, Beati mortui, qui in*  
*Domino moriuntur, amodò iam dicit spiri-*  
*tus, vt requiescant à laboribus suis. Opera enim*  
*illorum sequuntur illos. Liceat mihi quoq;*  
*dicere, Beati mortui, qui in Domina mo-*  
*riuntur. Vt Romæ non potest mori, qui*  
*Romæ non est; sic qui in Deo non vixit,*  
*in Deo mori non potest: at qui Domino*  
*nostro coniunctus vixit, in Deo quoque*

*Hebr. 11. 21.*

*Apoc. 14.*

*13.*

Domino morietur. ita qui in Domina  
nostra vixit eius addictus cultui, eius ho-  
nori studens amplificando, in Domina  
quoque morietur, eius patrocinio ac  
præsidio securus, velut in eius materno  
sinu consopitus, suavissimo somno cor-  
ripietur. Quos illa Mater tutata fuerit in  
vita, non deseret in morte, tum toties  
inclamata se adesse vellet in hora mor-  
tis, non frustra meminerit. Aderit, & ad-  
uersarias cacodæmonum turmas suo  
dissipabit aduentu; Sanctorum contra  
Angelorum & Beatorum nouo præsidio  
communiet, solabitur ægrum & mori-  
bundum clientem suum, fidei clarioris  
immisâ luce, stimulisque certæ spei ac  
confidentie iacentem exsuscitabit. at-  
tentioris denique aduersus Deum cha-  
ritatis flamma succendet, cor illi contra-  
tum & humiliatum curabit, & ne per-  
uersis alienisque tum cogitationibus  
curis impetatur, obfister, vti S. Brigide  
filio Carolo clienti suo se omnia per  
Matris officia præstitisse apud eandem  
memorat. Plenæ sunt eiusmodi exemp-  
tum, & nouæ & veteres historiarum. Sed

lud maximè memorandum est, quod de  
 sancto Fulberto Episcopo Carnotensi rú  
 alij, tum Baronius quoq; refert ad annū  
 1028. cū esset erga Virginem Matrem *Tom. II.*  
 addictissimus, cuius laudes edito quo-  
 que libro celebrasset, basilicamque ei-  
 dem extruxisset, sub extremam horam  
 ab eadem visitatum, & singulari planè  
 visō ac munere recreatum: neque enim  
 illa se vnquam liberalitate vinci patie-  
 tur. Itaque deposito Fulberto non mo-  
 dō se visendam clarissima luce præbuit,  
 sed inter mortuis illis labris, quibus illam  
 inuocabat, quibus iam mors insederat,  
 ad eius amaritiem detergendam, ad fu-  
 turæ cælestis felicitatis iucunditatē præ-  
 gustandam, sugenda sacra præbuit vbe-  
 ra, vt hinc non modō securus, sed omni-  
 no lætissimus emigraret. Sed tam feli-  
 cem mortem, par vita consimilis sancti-  
 tate præiuerit, oportet. O qui vel in vita,  
 vel in morte hoc suo aduersus Dei Ma-  
 trem pietatis studio sit assecutus, vt ab  
 eius vlnis in suas Deum infantem cum  
 sancto sene Simeone recipere mereatur,  
 & concinere: *Nunc dimittis seruū Domine, Luc. 2.29.*

Philip. 7.  
23.

*secundum verbum tuum in pace. Cupio dissolui, & esse cum Christo, cum Christi Matre, ad eos optimos salutis meae parentes ad-*

Bernard. ad  
militres  
templi.

*spiro. O vita secura illa, ubi pura consciencia! o inquam vita secura, ubi absque formidine mors expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione! Sed quis sibi ex hac innocen-*

Sur. to. 2.  
3. April.

*tia & sanctitate vitae spondeat? ergo ad te confugimus, o misericordiae Mater, in te spes omnes nostrae. Et utinam extremae illae sint nostrae voces intermortuae, quas sibi continenter in agone cupiebat insuffurrari S. Richardus Episcopus Ciceritrensis: Maria mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe!*

## C A P V T XXVIII.

*De paenis Purgatorij mitigatis, & precibus pro defunctis.*

**B**eneficia clementissimae Matris in-  
luos, & Partheniae Sodalitatis utili-  
tates, minimè angustis huiusce vitae can-  
cellis

cellis includuntur, cùm ad alteram præcipuè referantur immortalem omni æo duraturam: tum exploratissimi Sodali- tatis fructus constabunt, cùm huiusce vitæ caducæ tempus effluxerit; cùm bea- tæ lux æternitatis exoriri cœperit, qui in Deiparæ cultu bonorum omnium acer- ui ac thesauri delituerint, apparebit. Quamquam obita morte prætergressum iam erit misericordiæ tempus, & suas si- bi vices iustitia vindicabit: sicut enim utrâ- que vitam inter se partitæ videntur mise- ricordia atque iustitia, vt in præsentem dominetur misericordia, in futura iusti- tia. Breuius quidem, sed antè est mi- sericordiæ tempus, ex quo sempiternum æuum iustitiæ consecutura discrimina- tur. Hic saluatoris, post iudicis partes a- git Dominus: hic indulget clementer er- rata, post eorum exiget seuerè pœnas ad extremum propè iustitiæ rigorem. Quã- uis, inquam, abierit iam misericordiæ tempus; tamen vix fieri poterit, vbi So- dalis animam è corpore digressam cle- mentissima Mater comitata fuerit, pro- que ea ad filij Saluatoris iudicis que tri-  
 L 4                      bunal

bunal aggressa patrocinari, quin eius ho-  
 noris causa Saluator purgatorias pœnas  
 moderetur, ab eaque tam amanti Matre  
 exorari se patiatur, vt de summo illo pœ-  
 narũ rigore detrahat aliquantulum, ali-  
 quid omnino maternis precibus est da-  
 turus. Et verò etiam pro sua benignitate  
 Mater optima partẽ aliquã suarum satis-  
 factionum, quarum thesaurus immensus  
 hæctenus exhauriri non potuit, nec po-  
 terit ad extremum, opinor, vsque iudicij  
 diem, earum, inquam, satisfactionum,  
 quæ nulli fuerint applicitæ, in exsolutio-  
 nem partis pœnarum eius animæ libera-  
 liter offeret, aut de Christi filij sui satis-  
 factionibus vnde quaque infinitis, eo  
 minimè renitente mutuabitur; aut de  
 communi Sodalitatis ærario pro suo iu-  
 re, cuius est ipsa princeps, desumet, & vt  
 ille meritus fuerit in vita Sodalis, attri-  
 buet; aut denique gratiam vberem suis  
 adhuc hac in vita degentibus clientibus  
 alijs impetrabit; qua defuncto Sodali  
 succurrant communibus suffragijs, sa-  
 crificijs, precibus, eleëmofynis, ieiunijs,  
 alijsque sponte susceptis pœnis ad præ-  
 ciden-

cidendas mitigandasque summas illius  
 ignis purgatorij flammam, quarum acer-  
 bitati nulla suppliciorum ac tormento-  
 rum huiusce vitæ comparari potest im-  
 manitas. Id sanè præcipuè curæ est Sodalitatis, cuius lege nona præscribitur: Cùm  
 è Sodalibus aliquis ægrotauerit, eum  
 tum Præfectus inuisèdum, & sanctis Ec-  
 clesiæ Sacramentis muniendum curabit,  
 tum omnes Domino suis precibus com-  
 mendabunt, quæ pertinent ad mortem  
 piè sancteque obeundam. de qua supe-  
 riore capite. Quod nunc agimus, quòd si  
 contigerit eum è vita discedere, Sodales  
 illius funus ad sepulturam prosequen-  
 tur. Deinde quo primùm die commo-  
 dum fuerit, mortuorum Officium pro  
 eodem, vel simul omnes in oratorio, si  
 fieri possit, recitabunt, vel certè per se v-  
 nusquisque separatim. Per octo autem  
 dies psalmum *De profundis* cum oratio-  
 ne pro defunctis, pro illo dicent semel  
 quotidie singuli. Tota denique Sodali-  
 tas Missæ sacrificium pro eius anima se-  
 mel saltem offerendum curabit. Quod  
 beneficium quanti sit estimandum, tum,

vti dixi, constabit in altera vita, cum erit extrema Purgatorij pœnarum acerbitas subeunda. Neque verò differt ab infernali purgatorius ignis, nisi quòd ille sit æternus, & desperatione cumulatus, hic certa spe releuetur, & sit aliquando terminandus, ceterùm eiusdem diuinæ iustitiæ flatu concitatus. S. Augustinus, psalmi 37. primum versum sic interpretatur: Domine, ne in indignatione tua arguas me. non sim inter illos, quibus dicturus es, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Neque in ira tua emendes me, vt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non sit opus, propter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Et nõnullis post interiectis, Quia dicitur, *Saluus erit, cõternitur ille ignis.* Itaplanè, quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo potest pati in hac vita. Et nõstis, quanta hîc passi sunt mali, & possunt pati, tamen tanta passi sunt, quanta poterunt pati & boni. Quis autem sustineat intueri parentem, fratrem, propinquum,

August. in  
psal. 37.

quum, sodalem, amicum hisce etiam  
 nostratibus ignibus amburi, & totum  
 ardere flammis, neque mox eos eripere  
 omni ope nitatur? quis tam duro fer-  
 reo que sit pectore, qui non ad eorum  
 eiulatus & commiserandas voces to-  
 tus commoueatur? *Miseremini mei,*  
*miseremini mei saltem vos amici mei.* Sunt  
 illæ quidem animæ sanctæ, Deo gra-  
 tissimæ, in eius gratia atque amicitia  
 confirmatæ iam ab ipso primo corporis  
 egressu; sed nihil sibi met opitulari pos-  
 sunt, nihil afferre subsidij, diuinæ iusti-  
 tiæ rigori traditæ, præterito merendi &  
 satisfaciendi tempore, solâ eis satis passio-  
 ne relictâ. & verò cupiunt illæ diuinæ  
 quoque iustitiæ facere satis; tametsi &  
 pro sua ardentissima in Deum charitate,  
 supra quàm dici queat, ad eius conspe-  
 ctum anhelent, vt hæc pœna damni, ex  
 dilata clara Dei visione pœnam sensus  
 exæquet aut superet. at vbi pœnis exso-  
 lutæ ad hunc Dei cōspectum euolarint,  
 tum eis, à quibus adiutæ fuerint ope suf-  
 fragiorum, cumulatissimè rependent, ac  
 reponent, in omnem æternitatem futu-

ræ gratissimæ. Non patientur hæc nostra  
 ad eorum pœnas mitigandas, maturius-  
 que finiendas oblata suffragia, suis vi-  
 cissim, cum primùm licebit, officijs su-  
 perari. quod igitur monet Ecclesiasticus,  
 Eccl. 38. 16. *Fili, in mortuum produc lacry-  
 mas, & quasi dirapassus, incipe plorare, & se-  
 cundùm iudiciam, contege corpus illius, & ne  
 despicias sepulturam illius.* Quæ pertinent  
 ad funeris curationem, exequiarum ho-  
 norem, sed præcipuè magnam vim la-  
 crymarum pro animâ illâ dira Purgato-  
 rij tormenta perferente, proferendam  
 insinuant, cum eius iusta persoluuntur.  
 Quamquam extremum illum luctum  
 Sapiens ultra diem vnum duosue pro-  
 rogari non vult, vehementerq; noxiam  
 illam, & animo & corpori infestam, dâ-  
 nat tristitiam; tamen ait ex persona de-  
 functi: *Memor esto iudicij mei, sic erit & tuū;  
 mihi heri, tibi hodie.* eadem nos fors ma-  
 net. Moriendum est, & incertum est an  
 eo ipso die; tū à morte æquè & amplius  
 piorum viuentium subsidijs suffragiūq;  
 indigebimus. Qua verò mensura priori-  
 bus mensi fuerimus, eadem posteriores

nobis remetientur, par pari rependetur officium. *In requie igitur mortui requiesce-<sup>v.24.</sup> refac memoriam eius, & consolare illum in exitu spiritus illius.* Quod quoratione fieri potest, nisi procurato in summis illius Purgatorij pœnis aliquo subsidio atque alleuamento per pœnas eius vice susceptas, per ieiunia, per orationes, per eleëmofynas? de quibus idem Ecclesiasticus: *Gratia dati in conspectu omnis carnis, & <sup>Cap.7.17.</sup> mortuo ne prohibeas gratiam.* quod & filio suadebat Tobias pater, cui & præibat *Tob. 4. 17.* exemplo: *Panem t. <sup>m.</sup>, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue,* de quo supra. *Panem tuum cum esuriētibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege.* Nusquã rectiùs collocantur opera misericordiæ, quàm in hoc Dei nosocomio, & carcere defunctorum: sed præcipuè iuuantur sacrificio Missæ propitiatorio pro viuīs & defunctis. Hoc S. Monica mater Augu- *Lib. 9. conf. II.* stini moritura petebat vnum pietatis officium: *Ponite hîc corpus meum, tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei. Mei quoque lector ab obitu, si hæc scripta durabunt, Angelica*

254 DE BONO SODAL. PARTH.  
salutatione apud communem Domi-  
nam ac Matrem meminisse non gra-  
ueris.

C A P V T XXIX.

*De Indulgentiis ab Apostolica Sede  
Sodalitati concessis.*

**N**Eminem later in ærarium commu-  
ne matris Ecclesiæ relatos infini-  
tos Christi Domini meritorum ac satisf-  
actionum thesauros, qui nulla unquã  
liberalitate poterunt exhauriri: immen-  
sas deinde Deiparæ Virginis, Sanctorũ-  
que, quibus minimè opus habebant,  
cũ nihil haberent expiandum, satisfa-  
ctionum gazas. quas, vti eas appellat S.  
Ambrosius, immortalitatis diuitias dis-  
pensandi atque erogandi potestas au-  
ctoritasque omnis penes est Rom. Pon-  
tificem, quem sui gregis supremum ac  
communem Pastorem Christus Domi-  
nus instituit. Hac potestate perquam li-  
beraliter vsus Gregorius XIII. sanctæ  
memoriæ Pontifex opt. max. amplissi-  
mas

mas Deiparæ Sodalitati largitus est Indulgentias, quarum elenchus mox subiicietur. Actametsi extremo hîc commemorentur loco, tamen inter bona atque emolumenta Sodalitatis eminent, & principem propè locum obtinent. quãto illæ in pretio sint habendæ, utcumq; potest intelligi ex ijs quæ proximè commemorata sunt, tum de summo diuinæ iustitiæ rigore in repositendis ad extremum vnguem & quadrantem peccatorum pœnis, si quæ in altera vita supererunt exsoluendæ: tum de pœnarû ignis purgatorij, quarum ne vmbra quidem vllus huius vitæ cruciatus præferre potest, acerbitate grauissima, quam nulla ratione patientes ipsi releuare ac mitigare poterunt. quas pœnas qui volet effugere, vti omnes velle debemus, vt ad Deum certè conspiciendum ac fruendû citiùs perducamur, colligendis hîc communi opera atque industria sacris Indulgentijs elaborare debet: sunt enim Indulgentiæ illius pœnæ, quæ remissâ culpâ superest exsoluenda, virtute clauium, quas Saluator Vicario suo concedidit, attributa

buta relaxatio. viuentibus adhuc, & in Ecclesia versantibus per modum absolutionis tacitæ cuiusdam velut interlocutoria sententiæ, sine fori strepitu lata: defunctis verò, qui iurisdictionis Ecclesiæ limites excesserunt, per modum suffragij, seu applicati pretij satisfactionis æquiualentis proportione quadam respondens ei pœnæ, quæ condonatur. Plenaria Indulgentia, vti vox indicat, totius omnino pœnæ relaxatio est: ac tamen si nonnumquam vberioris cuiusdam explicationis causa distinguantur plenaria, plenior, plenissima; vtrum tamē magis ea est, quàm rerum distinctio. Quemadmodum & adiecta Iubilei nota, magis certum tempus designat, annexamq; à quibusdam reseruatissimis criminibus absoluedi potestatem, quàm pleniorē pœnæ condonationem indicat. Etenim cum tota pœna condonatur, nihil eius superest condonandū. Quo quis die primū in Sodalitatem recipitur, & quo die moritur, ex hacque in terris peregrināte ad alteram in cælis regnantem Sodalitatem emigrat; die item festo Natalis, & Ascen-

Ascensionis Domini, Annuntiationis, Assumptionis, Natiuitatis, & Cōceptionis immaculatæ Virginis, præmissâ confessione, & Eucharistiâ perceptâ, Parthenius Sodalis plenariam consequitur Indulgentiam. Ad eius autē diei festi Diuæ Matris, cuius titulum præfert Sodalitas, ceteri quoque fideles vtriusque sexus, beneficio & merito Sodalitatis, eius inquam diei ad Indulgentiâ plenariam admittuntur. Anni vnus Indulgētia cōpluribus pietatis officijs, quæ ex instituto & legibus Sodalitatis obeuntur, adscripta est. Hæc verò earum est pœnarū, quæ prudenti & districto confessarij iudicio pro quibusuis peccatis annuatim iniungi possent ac deberent, seu anni vnus pœnitentiarum, quas æquus ac prudens confessarius imponeret. cui annuæ iniunctæ pœnitentiæ, quæ pars pœnarum Purgatorij æqua mensura respondeat, quis omnino habeat exploratum, aut verosimili coniectura consequatur? Nec verò huius loci est & propositi Indulgentiarum naturam & condiciones omnes explicare, id scholarum Theologica-

gica-

258 DE BONO SODAL. PARTH.  
gicarum est negotij. Indulgentias stationum Urbis per Quadragesimam, & alia tempora, quibus obeuntur in Vrbe stationes, assequuntur quoque Sodales, qui Societatis ecclesiam eo fine visitarint, & septies orationem Dominicam, Angelicamque salutationem recitarint. Quòd maximè interfit quemque Sodallem nosse, id est, neminem sibi lucrifacere posse Indulgentias, qui non existat in diuina gratia & amicitia, qui conscientiam grauiore culpa lethali sauciatam habeat. Nam qui eius est culpæ reus, hostis est Dei capitalis, obnoxius æternæ flammæ, mancipium cacodæmonis, qui pretiosum Christi sanguinem pollutum ducat, ostentui habeat, & pedibus proculcet, qui filium Dei in se denuò crucifigat. quare omni indulgentia, liberalitate ac munificentia diuina longè est indignissimus. Non enim est æquum, ut ei pœna indulgeatur vlla, qui sua sponte hæret in culpa; pretium diuini cruoris sumat, qui tam fœdè eum proculcat, qui Christo sola fide cohæret, velut viti palmes externo cortice, nō interna charitatis

tis vita ac medulla, nec vllum gratiæ succum ex radice trahere potest. Alter itamen lucrifacere aut potius deferre potest Indulgentiam, cui innocenti alterius culpa ac peruersa voluntas detrimento esse nõ debet, quando id ei Pontifex indulget. Requiritur ad Indulgentiam æqua & respondens causa, cum Summus Pontifex Ecclesiæ thesauri minimè dominus, sed dispensator, & fidelis existat œconomus, nec pro sua, sed Domini erogare debeat volũtate, ex iusta & commensurata causa. Verũ eam causam in Sodalitatis Indulgentijs minimè deesse conficitur, non inde modò quòd ea debet apud nos auctoritas esse Summi Pontificis, quam in dubium reuocare non liceat, eiusque iudicium longè semper hominis cuiusque priuati anteferendum iudicio: verũ & ex eo capite, quòd apertissimum sit, quanti referat in Ecclesia Deiparæ Virginis cultum in dies augeri, eiusque amplificari honorem & pietatem: cum nullum ferè hoc in Deiparam Virginem affectu certius opportuniusque ad salutem præsidium habeamus.

mus.

mus. Tum verò iuuentutis toto terrarū orbe in Societatis gymnasijs, in virtute & pietate simul vnà cum litteris instituendæ ratio ; gratissima est iustissimaque causa plurimi semper habita, plurimismunienda atque exornanda priuilegijs. Ac mihi Pontifices ipsos tam benignos munificosque in Virginem Matrem religiosa pietas atque obseruantia reddidisse videtur, huiusque ipsius optimæ Matris singularis ac diuinus instinctus ad eam illos permouisse liberalitatem. Sicut olim cùm B. Franciscus à Christo Domino plenariam petijt atque obtinuit Indulgentiam ijs omnibus, qui peccata confessi Beatissimæ Virginis Angelorum de Portiuncula visitassent ecclesiam ; illicò Beatissimam Virginem, quæ ad Saluatoris filij dexteram affidebat, supplex inuocauit, eaque mediatrice potissimum, atq; adiutrice singulare id cælestis Indulgentiæ donum beneficiumque obtinuit : ita nobis harum Indulgentiarum, quæ Pontificia sunt auctoritate concessæ, velut origo & radix est habenda ipsa Beatæ Matris ad-

uer-

uersus cultores suos clementia & indulgentia. Nulla quidem in Indulgentiis prætermittendis, vbi contemptus omnino abest, grauior culpa suscipitur; nulla enim lege ad eas lucrificiendas astringimur; est tamen haud leuis ea suæ salutis incuria, grauis segnities, & minimè ferendus torpor, cùm ad pietatis opera tam amplo quæstu propolito, tamque munifica Pontificum liberalitate non excitamur. Quanto non modò prudentiores, verùm & vigilantiores attentioresque sunt filij sæculi huius, filii lucis: qua illi cura, diligentia, opera maturè æs omne alienum dissoluere satagunt! quàm gratis excipiunt animis si quæ illis debitorum syngraphæ remittantur! nec vllam vinqvam vllius in eo genere creditoris respuunt liberalitatem. Quòd si nostra minimè causa laboramus, quos tamen huius negligentiaè seriùs aliquando pœnitebit; at animarum in purgatorijs pœnis versantiũ. quæ per eas indulgentias releuari & eximi possunt, habenda est ratio, & deijs benemerendi tam prompta & facilis occasio

præ-

*In Exerc.  
& examine  
conscien-  
tia.*

prætermitti non debet. Sanè B. P. Ignatius, cuius adscribam verba, censet ad iussa Superiorum reduci diplomata seu indulta Pontificum pro infidelium expugnatione vel Christianorum pace concedi atque promulgari solita, per quæ ad confessionem peccatorum, & Eucharistiæ sanctæ sumptionem Christi fideles inuitantur. Peccat siquidem non leuiter, quicumque tam pias Rectorum Ecclesiæ cohortationes sanctionesque aspernari audet ac transgredi. Quam B. Patris auctoritatem atque sententiam ad has quoque Pontificias Sodalitatis Indulgentias transferri posse crediderim.

LIBER

LIBER II.  
 DE  
 SODALIS PARTHENII  
 OFFICIIS  
 ERGA SANCTISSIMAM  
 DOMINAM  
 AC PATRONAM.

CAPVT I.

*Officia omnia reuocari ad veneratio-  
 nem & imitationem.*



FFICIORVM Parthenij  
 Sodalitatis tripartita potest  
 institui ratio : quorum  
 quædam ad religionem  
 aduersus Deum, Diuam  
 Matrem, cælestesque Patronos perti-  
 neant, quædam referantur ad æquita-  
 tem,

264 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
tem, beneuolentiam & obseruantiam  
erga proximos, siue maiores sint, siue æ-  
quales, siue inferiores; quædam denique  
moderationem sibi met adhibendam, &  
priuatæ vitæ normam cõtineant. Quem  
triplicem officiorum fontem videtur A-  
postolus indicasse, cùm ait, *apparuisse*  
*gratiam Dei Saluatoris nostri, vt sobriè, iuste*  
*& piè viuamus in hoc seculo.* sobrietas ac  
temperantia cuique propria virtus est;  
iustitia rationem omnem agendi cum  
proximo continet; pietas ad Deum reli-  
giosè colendum pertinet. Eadem offi-  
ciorum tria genera Zacharias Baptistæ  
parens expressit, huncque esse Saluato-  
ris in mundum aduentus scopum, *Vt sine*  
*timore de manu inimicorum liberati, serui-*  
*mus illi in sanctitate & iustitia, coram ipso.*  
Sanctitas eadem est atque castimonia,  
præcipuum temperantiæ decus, ac so-  
brietatis ornamentum; iustitia rationem  
versandi cum proximo, charitatem quo-  
que ad beneficentiam ei præstãdam am-  
plectitur: pietas in seruitutè Dei, coram  
illo, posita est. Hæc prima præcipuaque  
religionis pars, latria, Dei seruitus, si  
quis

Tit. 2. 12.

Luc. 1. 74.  
75.

quis se totum diuino m̄cipet obsequio,  
 nec ab optimi eius Domini conspectu ac  
 cultu cogitatione longiùs euagetur. De-  
 nique partitionem eandem secutus vi-  
 deri potest Archangelus Raphaël cum  
 Tobia differens; *Bona est oratio cum ieu- Tobia 12. 8.*  
*nio & eleëmofyna, magis quàm thesauros au-*  
*ri recondere.* ieiunium temperantiæ, eleë-  
 mosyna iustitiæ, oratio pietati respōdet.

Verùm cum ea partitio latissimè pa-  
 ret, singulaque si diffusius explicentur,  
 membra iustum suum exigant volumen,  
 vniuersa verò hæc scriptio, vnius Diuæ  
 Matris honoris causa suscepta sit; offici-  
 orum aduersus illam Parthenij Sodalitatis  
 illa videtur compendiosior commo-  
 diorque futura partitio, in duo summa-  
 tim capita, quorum alterum sit venera-  
 tionis, seu adorationis; alterum imita-  
 tionis præstantissimarum eius virtutū; vt  
 oculis mentis Patrona semper obuerse-  
 tur vel adoranda vel imitanda. Honor  
 & cultus Sanctissimæ Matris adoratio-  
 ne potissimùm defertur, at Sodalitatis bo-  
 num & emolumentum imitatione con-  
 tinetur, quamquam & imitatione se coli  
 M valdè

266 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
valdè reputat Diua Mater, & adoratio-  
ne maximum meritorum quæstum facit  
Sodalis; tamen ad huius spiritale com-  
modum præcipuè refertur imitatio, &  
ad Deiparæ cultum adoratio. Adoratio-  
ni comes adiungitur inuocatio, & si quis  
alius cultus pio Sodalitatis more atque  
instituto defertur. De omnibus honoris  
partibus, quas recenset Aristoteles, de  
templis, imaginibus, peregrinationibus,  
aliisue modis minùs vſitatis cultus Dei-  
paræ, dicere mihi propositum non est,  
sed de adoratione & inuocatione, tum  
de virtutum eius imitatione: quibus  
cancellis, quo breuior & gratior existat,  
hic libellus includetur.

*1. Rhetor.*  
*15.*

*Sermo de*  
*Natali S.*  
*Laurentij.*

Gloriemur in Domino, qui est mira-  
bilis in Sanctis suis, in quibus præsidium  
nobis cõstituit & exemplũ, ait præclare  
S. Leo. Sed quanto hoc præsidium cer-  
tius, & exemplum illustrius in Sanctissi-  
ma Sanctorum omnium Regina Deus  
nobis pro sua benignitate prouidit, tan-  
to crebriùs ardentiusque illud est prece  
continua atque adoratione præsidium  
implorandum, & exemplum imitatione  
con-

consecrandum. Ac sanè mutuam sibi præstant opem veneratio atque imitatio, dum Virginis Matris in nos augent beneuolentiam, beneficentiamque prouocant; dum imitatio Virgini nos in dies magis conciliat, & ad eam imitationem magis exprimendam veneratio gratiæ vires obtinet, imitandumque; exemplar hoc circūfert semper in oculis. Vt impetres, inquit Bernard. eius orationis suffragiū, non deseras cōuersationis exemplū. Valet hīc illud Eccles. *Sicut qui thesaurizat, ita qui honorat matrem suam.* quamquam omnis honos à nobis exhibitus, eius meritis & dignitate immenso quodam spatio inferior est; tamen nisi eum quemcūque possumus vltro deferamus, animi ingrati notam turpissimam haud effugiemus, neque Saluatoris, qui matrem ab vniuersis quàm maximè in honore accultu haberi cupit, obseruantia aduersus eam ac voluntati faciemus satis. Sicut Pater omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium sicut honorificant Patrem; ita Saluator filius per amantissime Matris manus omnia nobis

indulget gratiarum munera ac beneficia, ut omnes honorificent matrem sicut honorificant filium. Honor ijs personis excellentibus defertur, auctore Philosopho, qui vel dedere vel dare possunt beneficia. Totis igitur medullis cordium, (vtar S. Bernardi verbis) totis precordiorum affectibus & votis Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam. Hanc porro venerationem atque adorationem si destituta sit imitatione, mancam esse intelligamus. *Summa enim religio est imitari quod colimus*, præclara est sancti Augustini sententia. Atque vt nostri spiritualis fructus cupidissima est Virgo Mater, gratior illi est imitatio quam laudatio, magisq; ei placeat deuotus imitator, quam laudator otiosus: sed vera laudatio cordis, imitatio est operis, ait egregius Virginis imitator & laudator Ildephonsus. qualis est interactionem & contemplationem con-  
temperatio, talis est inter adorationem & imitationem connexio. Adoratio est perfecta & compendio velut expressa

*Serm. de  
Aqua du-  
c. n.*

*Serm. 1. de  
Assumpt.*

contemplatio; præcipua verò laus fructusque actionis imitatio est. constet igitur hac vtraque. permixta, veneratione & imitatione, omnis nostra aduersus optimam Patronam officiorum absolutio.

## CAPVT II.

*Quenam Deiparæ Virgini deferenda sit adoratio.*

**C**VM corpore constemus & animo, parte vna externæ quæ sub aspectum cadit immersi materiæ, parte alia spirituales & inuisibiles; adoratio quam Deiparæ deferre nos par est, vt ei nos subiter namus honoris eius causa, duplex omnino est, aut duplici parte constat: quarum altera sit instar corporis externa genuculatio, prostratio, denudatio capitis, eleuatio manuum, coniunctio palmarum, tussio pectoris, thurificatio, luminum accensio, & alia generis eiusdem; altera velut anima ac vita sit interna testificatio cum sui submissione, eximia quedam opinio & existimatio illius excellentis gratiæ & sanctitatis, summæque dignitatis Dei Matris, in qua existimatione intellectus volun-

270 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
tas sibi summè complacere, & honorem  
illum externo corporis gestu delatum  
imperet ac prodatur. Externa signa reue-  
rentiæ cuiuscumque excellenti personæ  
quam veneremur, Principi quoque ac  
Magistratui civili possunt exhiberi, non  
solum ipsi Deo supremo omnium rerum  
auctori atque effectori, Sanctissimæ Re-  
ginæ cælorum, cæterisque Beatis; sed  
longè dispar est interior existimatio at-  
que opinio de Magistratus aut Principis  
excellentiâ quadam politica, de Dei pri-  
mi rerum principij suprema auctoritate  
ac maiestate, cui patriæ seruitus maxima  
debeatur; de sacra Beatorum excellentiâ  
sanctitatis, qua sunt inter amicos ac fi-  
lios Dei relati, eoque iam clarè conspe-  
cto potiuntur in cælis, quorum obser-  
uantia nuncupatur à Theologis dulia,  
seruitus & ipsa, sed honoraria, longè in-  
ferior eâ, quæ Deo rerum omnium effe-  
ctori atque moderatori defertur. In ge-  
nere duliæ suprema est Diuæ Matris ad-  
oratio, quæ dicta est à Theologis hyper-  
dulia, quasi excellens dulia, singularis  
planè submissio: ob duplicem causam, tū  
ob

ob eius singularem in nos auctoritatem,  
 ac supremam Dei Matris dignitatem,  
 tum ob eximiam gratiæ & sanctitatis  
 omnis præcellentiam, qua Sanctos o-  
 mnes velut in immensum exsuperat.  
 nam, vti rectè Damascenus, Dei Matris  
 & seruorum Dei infinitum est discrimē;  
 tanto Angelis Beatisque omnibus me-  
 liorexcelliorque effecta est, quanto præ  
 illis differentius nomen hereditauit,  
 quāto gratiæ illius gloriæq; sublimitas o-  
 mnē omnium Beatorum in vnum quoq;  
 cumulū cōgestam excedit gratiæ ac glo-  
 riæ copiam. Hac in adoratione Deiparæ  
 deferenda præiuere nobis Angelicarum  
 mentium chori, cū primū illis Deus  
 hoc suæ in nos infinitæ charitatis de in-  
 carnando Verbo & delecta Virgine Ma-  
 tre consilium patefecit: tum enim &  
 Deum hominem effectū, & eius dignissi-  
 mam Matrem Reginam suam supplices  
 ac gratulantes adorarunt. iterum auspi-  
 catissimo in Saluatoris natali, cū ad  
 stabulum Bethlemiticum delapsæ sunt  
 istæ cælestes turmae ex Apostoli testimo-  
 nio, *Et cū iterum introducit primogenitum*

*Orat. de  
 dormitione  
 Deiparæ.*

*Hebr. 1. 6.*

M 4 in

*in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Denique ut in gloriosa resurrectione, & Deum filium, & Matrem Virginem, uti eius dignitas honosque exigebat, adorarunt. Præiuere præterea nobis Reges Magi primitiæ atque oratores Ecclesiæ Gentium, dum procidentes adorarunt Deum infantem in Matris sinu ac gremio, veluti regio throno confidentem, qui Regem veneratur, & thronum & vestem eius quoque veneratur: quamquam illustrati fide Magi Virginem per se pro dignitate Matris honorandam adorandamque censuerunt, nec suo defuerunt officio. Quod dixi de sinu & gremio, comprobatur Chrysostr. Inuenerunt, ait, Magi puerum cum Maria quæ eum suo in gremio collocauit; quis enim dignior thronus infanti Deo ad Reges Magos excipiendos apparari potuerat? Idem Ambrosius: Mater partu molli blanditur gremio, eum adorandum Magis ingerit. Omitto Emissenum & Euthymium.

*Homil. 8 in  
Matth.*

*Serm. 1. de  
Epiphan.*

Et verò cum nemini vnquam nisi per Christum saluatorem ac mediatorem  
salus

salus obtigerit, cùm omnis gratia iustorum, fide nitatur ex Virgine concepti natiq; Redemptoris; crediderim non tantùm posteriores, Apostolos, Martyres, Confessores, ceterosq; fideles Virginem, (quã Apostolorum propè coæuus Tertullianus Beatissimam & gloriosissimam appellat) hac adoratione veneratos fuisse, sed & anteriores Patriarchas, Prophetas, magnosq; illos Hebræorum reges ac duces, ex quorum erat illa stirpe gignenda, tanto antè hanc suam proneptem generis ac gentis gloriam gratulabundos adorasse. Hãc quoque Dei Matrem dixerim secundùm filium fuisse desiderium collium æternorum, expectatissimam cunctis gentibus, velut auroram post tam longinqua densissimæ noctis spatia gratissimam. hanc Abrahamo præmonstratam summoque exultantis animi gaudio visam & adoratam mihi persuaserim, & ad Matrem filij quoque verba traduxerim: *Abraham pater vester* Ioan. 8. v. 56. *exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est.* eandem ab eius filio Iacob in summitate virgæ Ioseph, qui præfigura-

M 5 bat

Serm. de  
Passione.

bat Saluatorem, summo solatio morien-  
tis adoratum. breuiter à ceteris, quorum  
est adumbrata figuris, prænuntiata vari-  
cinijs, votis ac suspirijs inclamata, habi-  
tam in summa veneratione contende-  
rim, iuxta illud D. Leonis dictum: Saluti-  
feræ Virginis partus non extremi tantum  
temporis generationibus profuit, ve-  
rum etiam se in præteritas refudit æta-  
tes; ac quo fuit apud eius æui quemque  
fidelem expressior fides, notitiaque cla-  
rior Saluatoris, eo quoque Virginis eius  
Matris, fuit eorum adoratio veneratio-  
que submissior. A Christi in cælos ascen-  
su quin Ecclesia omnis Dei Matrem, vt  
par erat, venerata sit atque adorarit, am-  
bigi non potest, & fidem Ecclesiastici  
præstant Annales. Quo ferè quisque vir-  
tute ac sanctitate magis excelluit, eo  
Deiparæ Virginis cultui comperietur ad-  
dictior extitisse, vt rectè illi accommo-  
des istud Psalmistæ: *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*; Sancti quique  
primores, Ecclesiæ Principes, meritis atque  
opibus gratiæ locupletissimi: ad quos  
tamen & nos omnium egentissimi acce-  
damus,

Psal. 44.  
13.

damus, vt vniuersa illi gratulans adoransque acclamet Ecclesia (qua duce de suis triumphat hostibus) quod vetus Synagoga gloriosæ Iudith Holoferne truncato: *Tu gloria Ierusalem, tu letitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, &c. & eris benedicta in æternum, fiat, fiat.* *Iudith 15. 21.*

## CAPVT III.

*Quibus de causis adoranda sit Virgo Dei Mater hyperduliâ.*

**D**Vabus præcipuè, quæ sunt indicatæ, ob summam diuinæ gratiæ ac sanctitatis excellentiam, qua creaturas omnes velut immenso quodam spatio prætergreditur; deinde ob incomparabilem Dei Matris dignitatem, qua nulla maior celsiorque in puram creaturam cadere omnino potest. Quæ duæ causæ si componantur inter se, & cogitatione se iungantur, prior illa sanctitatis ac gratiæ cum filio Deo coniunctio, huic maternæ summæque propinquitati naturæ tamen

Luc. II. 28

Tract.

10. in Ioan-  
nem.

anteferenda est, ex Christi Domini re-  
 sponso: *Quin immò beati qui audiunt verbū  
 Dei, & custodiunt illud*, vt obseruat S. Au-  
 gustinus. Verùm, in Deipara numquam  
 seiunctæ fuerunt, nec esse potuerunt ex  
 consueta ac præscripta Dei lege, qua filij  
 Dei mater æterno decreto delecta erat  
 ac constituta; semper sibi connexæ fue-  
 runt istæ necessitudines naturæ & gra-  
 tiæ, nec alteram altera propriè præuertit,  
 cùm, auctore Damasceno, gratiam na-  
 tura præuerrere non est ausa, imò ma-  
 ternam propinquitatē longè antè præ-  
 uerit gratia. Fuit igitur vtroq; & naturæ  
 & gratiæ gradu proxima, nexuq; vtroque  
 coniunctissima filio Mater, eadem &  
 primaria sponsa, filiaque per gratiam  
 adoptionis, & mater æterno cōsilio Ver-  
 bi incarnandi destinata. ex qua velut ori-  
 gine promanarunt omnes eius gratiæ,  
 præcellentiæ ac sanctitatis prærogati-  
 uæ: ad eam enim Dei Matris dignitatem  
 comparabatur, effusis in illam omnibus  
 diuinæ gratiæ ac sanctitatis muneribus,  
 vt filio Deo non indigna, nec indecora  
 mater existeret: corporis eius mystici,  
 cuius

cuius ille est caput, ipsa spiritale collum omnibus virtutum monilibus ornatissimum, Ecclesiæ totius princeps membrū, aulæ cælestis Regina, creaturarum omnium præcellentissima. Quare Deiparæ prima hæc sit adorandæ causa; quòd Dei mater existat, mater Iesu, Dei, Domini, Saluatoris nostri. quam eius laudē cūm expresserint Euangelistæ, ceteras commentandi per amplum suppeditarunt argumentum. Id dixisse perquam abundè est *Virginem Mariam de qua natus est Iesus, qui dicitur Christus*, appellauisse Matrem Iesu. Sed ne quis Nestorius Iesum diuidat, & diuinam hypostasim ab eo se iungat in cōceptu, sacra Synodus Ephesina tanto studio contendit, theotocon Dei Matrem appellandam, qua nulla potest appellatio dignior ac celsior puræ quidem vlli conuenire creaturæ. non tantum Christipara, verum & Deipara dicenda: digna quidem appellatio, ob quam vnā tuendam Synodus Ephesina cogeretur. Vt filio Deo nullus cogitatione dignior maiorque effingi potest: ita mater excogitari sublimior nulla

278 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
potest quàm Dei Mater. Potest Deus v-  
niuersum hoc maius, cælum præstantius,  
elementa meliora condere, at Dei Ma-  
tre maiorem matrem non potest. Inde,  
quæ altera est causa adorationis deferē-  
dæ, plenitudo omnis gratiæ ac sanctita-  
tis, qua proximè ad filium Deum acce-  
dit, cui omnis omnium Sanctorum atq;  
electorum gratia in vnum etiã congesta  
cumulū cōparari nequeat, exoritur. Ac  
prima quidem Virginis gratia, quâ est in  
primo conceptu sanctificata, & ab origi-  
nali labe præseruata, qua se primùm ac-  
celerato rationis vsu totam diuino Nu-  
mini consecrauit ac contradidit; supre-  
mam cuiusuis Sancti gratiam, quam de-  
curfa hac mortali vita lōgissima in cæle-  
ste regnum intulit, imò SS. omnium gra-  
tias in vnū simul aceruū aggregatas, lōgif-  
simè superauit, iuxta illud Davidis my-  
stico sensu: *Fundamenta eius in montibus  
sanctis, diligit Dominus portas Sion super  
omnia tabernacula Iacob.* Neque hæc mea  
vnius est (cuius nulla est auctoritas)  
sed complurium doctrina & pietate  
præstantium Theologorum asseueratio.  
Hanc

*Psal 86.*  
3.

Hanc verò gratiam D. Mater, per omnem deinceps vitam, quam ad septuagesimū vsque tertium prorogaram voluntætatis annum, continuato ac conduplicato semper auxit incremento, cum ne somno quidem summa mentis elicitus contentione diuinus eius amor interromperetur, semperque vim omnem & naturæ & gratiæ in eum eliciendū exeret, nullam verò ne minimam in omni facto, dicto, cogitatu venialem culpam admiserit, sed diuinæ voluntati quàm esse potuit gratissima semper extiterit. quæ res, vt nihil de diuina vltro in Virginem effusa beneficentia dicamus, immensitatem quandam gratiæ demonstrant: cui respondet ex æquo gloria; vt mirum non sit, si supra creaturas omnes exaltata cæli Regina proximo deitati throno confederit, ad filij dexterâ collocata in potioribus eius bonis, si separatū & à ceteris seiunctū Beatissimæ gloriæ chorū efficiat. qua in eminenti maiestatis sede circumuallata beatarum mentium infinitis myriadibus, qui illam supplices ac gratulantes venerantur, cogitanda nobis

bis

bis est, cū & illi venerationem atque adorationem humi repentes vermiculi, ac velut in ceno coaxantes ranunculæ deferimus.

Ad has tertia potest adorationis adijci causa iustissima, quòd, cū Domini Dei nostri Saluatoris dignissima mater existat, nostra quoque iure quàm optimo Domina, & omnium heri creaturarum, vti loquitur Damascenus, existat. quare etsi cæteris Sanctis honos à nobis habitus minùs propriè censeatur dulia, seruitutis testificatio quæ dominis exhiberi solet à seruis; tamen Deiparæ exhibitus is honor propriissimè est dulia, cū & naturæ conditione tamquam Creatori nostro, & redemptionis iure tamquam Saluatori eius filio propriissimè serui simus, eandemque seruitutem dignissimæ eius parenti debeamus. Magno nos ille pretio diuini sui cruoris seruos emit, sibi inquam, Matrique suæ seruos, quæ & ipsa plurimum ad eam nostram contulit redemptionem. quam ille salutem condigno perfecit merito, hanc ipsa cōgruo seu imperatorio quoque

que promeruit, quo eodem merito incarnationis æterni Verbi promeruit accelerationem. Hunc Deum hominem Saluatorem nostrum, de Spiritu sancto conceptum nouem ipsos menses virgineo tulit vtero, moxque partu enixa virgineo fouit, fasciavit, educavit infantem, puerum, adolescentem adiuuenem, omnibus maternæ curæ ac pietatis officijs prosecuta, illi comes in Euangelio tota Palæstina deferendo, nusquam à diuino eius latere longiùs abscedens; denique morienti astitit ad crucis eius pedem, supremumque excepit spiritum, de peracto humanæ redemptionis opere gratulans, ac gratias agens, victimam nostræ salutis Augustissimæ obtulit Trinitati. neque verò nunc in cælo recepta ad filij dexteram supremo gloriæ throno, maternam suam aduersus clientes curam ac prouidentiam intermittit, neque patrocinari vnquam desinit, causamque ærumnosorum ad se contugientium apud Deum filium agere mortalium, quin verò ipsam misericordiæ matrē diuinæ clementiæ ac misericordiæ thronum censuerim,

*Hebr. 4. 16.*

fuerim, ad quam nobis à se uero iustitiæ  
 tribunali sit appellandum, quando apud  
 hoc iustitiæ tribunal pridem desperata  
 ac deplorata est causa nostra. Adeamus er-  
 go cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miseri-  
 cordiam consequamur, & gratiam inuenia-  
 mus in auxilio opportuno, non corporis tan-  
 tum utroque genu, sed præcipuè mentis  
 utroque flexo poplite, intellectu ac vo-  
 luntate, supremam eius Dei Matris di-  
 gnitatem, gratiæ ac sanctitatis eminenti-  
 am, supra creaturas omnes; tum in nos  
 supremæ Dominiæ potestatem & aucto-  
 ritatem cogitatione, uti par est, existi-  
 mantes, & voluntate supplici gratulan-  
 tes, adeamus eam, ac salutemus adoran-  
 tes atque inuocantes, Chrysostomo præ-  
 eunte, ac magno Athanasio prosequen-  
 te: Vt verè dignum & iustum est, glorifi-  
 care te Deiparam, & semper beatissimã,  
 & penitus incontaminatam Matrem Dei  
 nostri, honoratiorem Cherubim, & glo-  
 riosiore in comparabiliter Seraphim,  
 quæ citra corruptionem Deum peperit.  
 sti! verè Deiparam te magnificamus. Ave  
 gratia plena Maria, Dominus tecum, benedi-  
 ctus

*In Litur-  
gia.**Luc. 1. 28.*

*cta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quoniam saluatorem animarum nostrarum peperisti.*

Ad te clamamus, recordare nostri Sanctissima Virgo, quæ etiam à partu virgo permansisti. *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Beatam te prædicant omnium Angelorum & terrestrium hierarchiæ. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Intercede hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.

*Arbana. f.*  
*in Euang.*  
*de S. nostre*  
*Deipara.*

## CAPVT IV.

*De triplici tempore ad Deipara Virgini-  
nis adorationem oportuno.*

**E**A est Dei Matris summa dignitas, & profusa in nos beneficentia, vt nullum par esse possit nostrum aduersus eam religiosi cultus obsequium; tametsi nullo vnquam interrumpetur tēpore, tametsi ne momento quidem ac puncto tēporis intermisso, supplices semper illā veneremur, nunquam illi consentaneas laudes ac pares gratias referremus: sed

sed cùm illam contentionem mortalitas  
 nostra non ferat, aliæque nos aliorum  
 auocent curæ; horis certè singulis, cùm  
 nos admonet horologij pulsus, Angeli-  
 ca salutatione, & si patitur loci secessus,  
 genuflexione, palmarum coniunctione,  
 aliaue reuerentis animi ac grati signifi-  
 catione prosequenda foret optima Ma-  
 ter, Regina nostra clementissima: quæ ut  
 nostri memoriam deponit nunquam, ita  
 nobis ex animo excidere penitus non  
 deberet. Ad eam in singulas horas Virgi-  
 nis inuocationem prouocat nos Indul-  
 gentia Pontificia mille dierum, primùm  
 à Leone X. concessa, tum à Paulo V.  
 confirmata; nempe ut solis ac diei cur-  
 sum exæquet orationis cursus, & quæ  
 commodè singulis non potest momen-  
 tis, singulis certè saluetur horis Dei  
 Mater, simulque incomparabilis benefi-  
 cij redemptionis nostræ mentem subeat  
 recordatio.

Minimùm certè triplici tempore, ma-  
 tutino, meridiano, & vespertino foret  
 ea clementissimæ Matris adoratio & in-  
 uocatio cum sensu pietatis vsurpanda,  
 pro

pro more & exemplo regis Dauidis, qui licet amplissimi regni districtus administratione, non intermittebat ea precanditempora: *Vespere, manè, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* *Psal. 54. 18.*

Ita quoque manè Patronam suam salutatum adire debet Sodalis officij causa, vt per eam vniuersas eo die suscipiendas actiones diuino offerat Numini, opemque gratiæ ad eas feliciter exequendas copiosè reportet. Tum meridie media inter negotia receptui non nihil intus canere, collectisque animi viribus ad Deum & Diuam Matrem aspirare conuenit, easque spiritus vires instaurare ac reficere. Denique vespere solet ac debet accuratum examen institui conscientiæ, quo & de erratis venia indulgentiaque postulatur, & de rectè factis gratiæ referuntur. Optima autem huius examinis dieique conclusio erit Deiparæ supplex adoratio & innocatio, quæ nobis apud Deum filium mediatrix semper ac gratiæ conciliatrix adhibenda est. Si, quem admodum oporteret, solido, nec interrupto die Deiparam venerari non possumus,

sumus, vti in empyreo cælo Beati venerantur; certè illo primùm ex oriente, tum ad alto & ad medium cæli cardinem progresso, denique cadente & occidente sole Regina nobis nostra est ac Domina consalutanda. Huc omnino pertinet æris campani pulsus tertio repetitus, quo ad trinam Angelicam salutationem manè, meridie, vesperi prouocamur. qui pulsus ne in locis quidem Ecclesiastico subiectis interdicto vnquam est intermittendus, ne Deiparæ, Dominicæque incarnationis memoria vnquam oblietur aut imminuatur vlla temporis iniquitate. Cuius saluberrimi moris, in què potissimùm auctorem referenda sit origo, non est exploratum. videri potest Urbano II. cùm ad expeditionem terræ sanctæ alias quoque solemnes Deiparæ preces instituit in Synodo Claromontana, potissimùm ascribenda matutini ac vespertini pulsus consuetudo, ad diuinam opem implorandam, Virginis intercessione, & æterni Verbi memorandam incarnationem. Cui deinde Gregorius IX. meridianum adiecit pulsum,

vt

vt aptè tribus mysteriorum rosarij generibus gaudij, luctus, & gloriæ tres illi pulsus responderent. Qua potissimùm hora diei aut potiùs noctis Archangelus Gabriel Virginem salutaturus accesserit, ac diuini Verbi peracta sit incarnatio, compertum non est. ad eius igitur exsuscitandam memoriam tum summo manè, tum vespere pulsus edebatur: nunc autè aptissimè ad triplicia illa mysteria tres pulsus accommodantur, matutinus ad eam, quæ tum contigit resurrectione, & cetera gloriosa; meridianus ad passionem & crucifixionem; vespertinus ad incarnationem filij Dei & Angelicam salutationem: tamen si censuerunt multi hoc incarnationis mysterium, quod est cæterorum caput atque principium, ad eum triplicem pulsus semper vsurpare. Lege VII. Sodalitatis præscribitur, vt præter actionem gratiarum, aliasque preces quoquo manè, vbi è lectulo surrexerint, Sodales ter orationem Dominicam & Angelicam salutationem in honorem SS. Trinitatis pronuntient, simulque Symbolum Apostolorum &

An-

Antiphonam *Salve Regina*. Vesperi quoque præmissis examine conscientia ter Pater & Ave, ac semel psalmum *De profundis* pro defunctorum animabus exequantur. Auctor ego sum uti sub meridiem quoque, vel proximè post vel antecibum sumptum ad breue temporis intervallum sese colligant, easdemq; preces illas Sanctissimæ Matri persoluant, & triplicia illa mysteria Rosarij in tria tempora dispartita, aut quovis illorum tempore simul iuncta breui compendio repræsentent. Accedet illud quoque commodum, quòd eadem opera tres augustissimas SS. Trinitatis personas summa patriæ veneratione prosequetur, dum in Virgine Matre & Patris omnipotentiam, & Filij sapientiam, & sancti Spiritus effusam bonitatem suavitatemque celebrabunt; & illam secundum Patrem summa præditam potentia, secundum Filium illuminatissimam, ex Spiritu sancto redundante suavissimam dulcissimamque, eiusdem Spiritus sancti sponsam, matrem Filij, filiam æterni Patris, totius Trinitatis thronum ac sacrarium

ado-

adorabunt. Quam longè piissimam precandi formulam præscripsit aliquando clementissima Mater Beatæ Mechtildi, cui se propitiam in morte non defuturâ asseuerauit, si ter quoq; die salutationē eā Angelicam obiuisset. Non deerit igitur iis, qui nō modò trinā quoq; die, sed quoq; mane, meridiē, vespere tertio repetitâ iterarint, cū pietatis sensu, modò ne ex assuetudine quadam incogitanter effutierint. Tum verò crebrius vsurpandæ adorationis, inuocationis ac salutationis Deiparæ deesse nō potest occasio; cui, si locus est ab arbitris semotus, addenda genuflexio. Quoties interdum nouum aliquod suscipis negotium, opusque ad Dei gloriam aggredieris, quoties noctu de somno suscitaris, quoties quapiam hostis maligni tentatione pulsaris, quoties denique cubiculum tuum ingrederis & egrederis, tum genu flexo suppliciter adoranda Deipara, ac velut illa de cælo spectante audienteque, Angelica ei gratissima salutatio recitanda. Id virginem suam Eustochium monet quoque S. Hieronymus: Egredientes de

N hospiti-

Epist. 12.

290 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
hospitio amet oratio, regredientibus  
de platea oratio occurrat antequam ses-  
sio, nec prius corpusculum requiescat  
quàm animus oratione pascatur.

C A P V T V.

*De Rosario siue Psalterio Deiparæ 150.  
salutationum Angelicarum.*

**P**etrus Eremita, qui belli sacri sub Vr-  
bano II. Pontifice Godefrido Duce  
Bullonio suscepti primus incensor fuit,  
hanc Deum & Diuam Matrem per cal-  
culos seu globulos precandi formulam  
reperisse existimatur à nonnullis; & ea  
forsan de causa qui se ab eo gloriantur  
stirpem in Belgio ducere, Rosarium in  
gentilitijs gestant insignibus. ceterùm  
ea laus debetur S. Dominico, qui cùm  
aduersus Albigenses hereticos omni de-  
certaret armorum genere, hoc item ipsa  
suggerente Diua Matre comperit atque  
instituit aptissimum precandi genus o-  
mni hominum generi, omni loco ac tē-  
pori perquàm accommodatum, & in  
quin-

quindecim decadestresque quinquage-  
 nas, qui numerus est Dauidicorum Psal-  
 morum (vnde & Psalterium Beatæ Ma-  
 tris nuncupatur) cum apta mysteriorum  
 vitæ Christi Domini & Sanctissimæ Ma-  
 tris gaudij, luctus, & gloriæ distributio-  
 ne partitus est. Quo genere precandi vt  
 nullum est facilius & expeditius, vulgò  
 omnibus obuium, ab imperitis æquè ac  
 doctis, domi, foris, in itinere, in morbo  
 frequentatum; ita nullum est præstan-  
 tius & ad pietatem vberius, siue spectes  
 vtramque qua constat precationem Do-  
 minicam, & Angelicam salutationem,  
 qua nihil esse potest sanctius atque di-  
 uinius; siue adiunctam commentatio-  
 nem mysteriorum vitæ Christi Domini,  
 ac Sanctæ Matris, aut aliam piam consi-  
 derationem ex qua nascatur deuotio in-  
 terior, quæ vita est & anima vocalis ora-  
 tionis, qua deuotione sæpissimè rudio-  
 res à Deo copiosissimè perfunduntur. Ex  
 hoc vtroque capite ceteris omnibus  
 precandi formulis longè videtur ante-  
 ponendum Rosarium, ac duplicem qua-  
 si fontem patefacere spiritualium sen-  
 suum

292 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
suum & solatorū, si qua par est attentio-  
ne ac pietate decurratur. qui duo fontes,  
instar eorū quos effodit Isaac, Latitudo  
& Abundantia nuncupari queant. Nam  
& singulæ partes orationis Dominicæ sa-  
lutationisque Angelicæ pensulatiūs  
expensæ, eiusmodi sensa spiritualia co-  
piofissimè sufficient; & ipsa quæcumque  
mysteriorum inspectio, cū fuerint illa  
diu multumque antea meditata, ad eam  
copiam existet vberima. Dominicam o-  
rationem Christus Dominus suometo-  
re sacro nobis prodidit ac commenda-  
uit, optimus orandi magister, optimus  
que causæ nostræ apud Patrem aduoca-  
tus, cælestis, vt eum vocat August. In-  
risperitus. Et cuius pectus non emolliat  
sursumque erigat sanctæ confidentiæ ple-  
num illa præfatio, *Pater noster qui es in  
caelis?* tres deinde petitiones tria quæ de-  
bent in nobis ardere vota ac desideria  
bonorum æternorum explicat, vt sanctæ  
*ficetur Dei nomen*, agnoscat, ametur  
obseruetur, adoretur optimus natura  
gratiæque parens ab vniuersis mortalibus,  
propagetur eius nominis gloria

*In p. al. 54.*

claritas apud infideles, Indos, barbaros, hæreticos, perperam viuentes Christianos. *Adueniat eius regnum* in animis nostris, primùm hîc per gratiam, fidem, sp̄e, charitatem; deinde per gloriam claramque deitatis eius visionem ac fruitionẽ; dominetur ille nobis summa veritas, bonitas, æquitas, veniat in nos eius regnũ, quod est iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. *Fiat eius voluntas in celo & in terrã*; quàm perfectè maiestati eius in cælis obtemperant Angelicæ mentes, tam perfectè nos homines eius iussis ac mandatis obsequamur in terris; abnegata propria voluntate, in eius vnus sanctissima ac diuina voluntate conquiescamus. Denique quatuor insequentes preces bona omnia temporalia corporis & animi complectuntur, valetudinem, victum, vestitumque in pane quotidiano, & præcipuè pabulum mentis, quod est diuinum eius verbum, Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentũ, denique cælestium illustrationum copia. Tum declinationem omnium malorum quæ vel adsint, vel impendeant, inter

quæ grauiſſimum eſt peccatum, quæque  
 eo remiſſo ſuper eſt exſoluenda pœna,  
 tum quæ ad illud impellit ac ducit ten-  
 tatio, ne illi aliquando ſuccumbamus,  
 denique cæterorum corpori atque animi  
 malorum impendentium depulſionem.  
 Aut prioribus quinque poſtulis gra-  
 tiam Dei poſtulamus, poſterioribus  
 duobus in gratia perſeuerantiam, aut  
 propoſito ſcopo diuinæ gloriæ, vt Deus  
 ipſe regnet in intellectu & obſequentiſ-  
 ſima voluntate, noſque & corpore & a-  
 niimo à peccatis, à tentationibus, à malis  
 omnibus expediatur oramus, quæ tota eſt  
 votorum noſtrorum ſumma. Angelica  
 quoque ſalutatio Spiritu ſancto inſpirâ-  
 te per Archangelum Gabrielem & ſan-  
 ctam Elizabetham pronuntiata, extre-  
 ma clauſula ab Eccleſia Matre adiecta,  
 tota cæleſtis eſt ac diuina, ab Angelicis  
 hominibus, Angelica puritate & pietate  
 efferenda. *Aue*, gaude, tuis bonis fruere,  
 expers omnis væ peccati, quæ prioris E-  
 uæ culpam & maledictionem expūxiſti,  
 tui gaudij ſint participes qui de tua ſanc-  
 clientela; *Maria*, ſtella maris, domina,  
 illu-

illuminatrix, sidus clarissimum, quo mū-  
 dus omnis terrestris atque cælestis illu-  
 stratur; *gratia plena*, plena Deo, plena vir- *Ambro-*  
 tutibus, sola gratiam quam nulla alia *fiss.*  
 meruerat consecuta, vt gratiæ repletur  
 auctore; *Dominus tecum* eximia planè ra-  
 tione, cū in te & ex te Verbum caro  
 factum est, obumbrante Patris virtute,  
 & largissimè superueniente Spiritu san-  
 cto ipse Deus Filius ex te carnem induit;  
*benedicta tu in mulieribus*, lilium inter spi-  
 nas, mater & virgo, facunda & illibata,  
 supra creaturas omnes exaltata; & *bene-*  
*dictus fructus ventris tui Iesus*, fons omnium  
 benedictionum, qui vitam mundo resti-  
 tuit, beatus venter qui te portauit, & be-  
 ata vbera quæ te lactauerunt, ô bone Ie-  
 su, salus nostra, vita nostra. *Sancta Maria*  
*Mater Dei*, supplices te adoramus genu-  
 flexo, & inuocamus per ea sanctissima  
 nomina tua; *adsis nobis in hora mortis*, cui  
 calcaneo insidias struit inimicus anguis,  
 cui tu caput obtriuisti, & per filium ob-  
 tritura es: noli respuere peccatores,  
 quorum ille redimendorum causa fa-  
 ctus homo. Hæc aliaue consimilis, ad o-

296 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
rationem Dominicam & Angelicam salutationem adhiberi potest pia mentis commentatio. ne cui tamē sæpius iterata difficilior videretur, & cū ad satietatem vitandam, tum ad vberiores internæ deuotionis copiam; præclare S. Dominicus ad eas quindecim decades mysteria totidem vitæ Christi Domini ac Sanctissimæ Matris accommodauit; ut esset tripartitum Rosarium, quod triplici illo tempore, de quo dictum est, aut tribus per hebdomadam diebus commodè recitari posset. numerus quinquarius Dominicæ, orationis, quinque Christi Domini plagarum; denarius Angelicæ salutationis Decalogi aut decem præcipuarum Deiparæ virtutum memoriam ingerit. Mysteria vulgò notissima sunt:

*Gaudij, primæ parti Rosarij respondentia:*

1. Annunciatio Dominicæ incarnationis.
2. Visitatio sanctæ Elisabeth.
3. Natiuitas Christi Domini.
4. Purificatio Beatæ Virginis, & oblatio Christi in templo.
5. Inuentio pueri Iesu duodennis.

*Ma-*

*Mæroris, secunda parti Rosarij:*

1. Oratio in horro Oliuarum.
2. Flagellatio.
3. Coronatio spinea.
4. Baiulatio crucis.
5. Crucifixio.

*Gloria, ad tertiam partem Rosarij:*

1. Resurrectio Christi Domini.
2. Ascensio in cælum.
3. Missio Spiritus sancti.
4. Assumptio Diuæ Virginis.
5. Coronatio, aut extremum iudicium.

*Nuntiat, inuisit, natus, offert, reperitur.*

*Orat, flagra, vepres, fertq<sub>3</sub>, subitq<sub>3</sub> crucē.*

*Surgit, conscendit, tum pneuma emittit ab  
altro.*

*Assumpta & cingit sacra tiara caput.*

Habent hoc vitæ Christi mysteria,  
quòd non modò præclara documenta  
viuendi, & ad imitandum illustra virtu-  
rū exempla contineant, sed & inexhau-  
sta sint merita, & pretia nostræ salutis  
immensa, quibus Deo Patri representa-  
tis omnium gratiarū subsidia iure quo-  
dam æquissimo flagitemus. nobis natus  
est,

est, nobis vixit, nobis mortuus est Saluator, non sibi gratiam qua fuit à primo conceptu repletus absque mensura, sed nobis promeruit, per hæc sua merita veluti pretio persoluto ex quadã æquitate præstandam. Igitur hi sunt spirituales nostri thesauri, hi fontes vberissimi salutis, hæc delicia diuitiæq; nostræ, quas multò magis quàm vllus vnquam auarus pecuniam, assidua cogitatione retractare nos oportet. Quamquã omnibus omnia gradibus vitæ spiritualis, & temporibus anni, mysteria conueniunt, tamen Prima per Aduentum, à tironibus seu incipientibus; Secunda per Quadragesimam, à proficientibus; Tertia demum, à perfectis tempore Paschali rectissimè vrsurpantur. Prima, nos seuocant ab inanissimis mundi blandimentis & gaudijs. Secunda, aduersus molestias doloresq; communiunt. Tertia, ad spem gloriæ ac beatæ æternitatis accendunt. Prima, suadent innocentiam & puritatem, quæ in Virgine & infante Deo potissimùm elucescit. Secūda, patientiam, fortitudinem ac constantiam docent exemplo Christi

patientis & afflictissimæ Matris, tum humilitatem inserūt aduersus innatam superbix pestem, vt prima aduersus luxuriam dimicant. Tertia, cælestis vitæ desiderium, purissimi amoris diuini flammæ, zelum gloriæ Dei & salutis animarum, quale solet esse in perfectis, incendunt. Prima, nos in prosperis moderantur. Secunda, solantur ac confortant in aduersis. Tertia, quæ sit vtriusque fortunæ spes ac scopus, ostendunt. Sed de hisce mysterijs iam proximè copiosius. Nunc decem Deiparæ virtutes, quæ ad singulas salutationes pia quoque mentis vsurpentur commentatione, expressæ sacrx Scripturæ testimonio recensentur.

*Prudentia: Cogitabat qualis esset ista saluatio.*

*Castitas: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

*Humilitas: Ecce ancilla Domini.*

*Obedientia: Fiat mihi secundum verbum tuum.*

*Charitas: Exsurgens Maria abiit in montana.*

300 DE OFFIC. SODAL. PARTH.

Gratitudo: *Magnificat anima mea Dominum.*

Paupertas: *Reclinavit eum in praesepe, quia non erat ei locus in diversorio.*

Patientia: *Ecce pater tuus & ego dolentes querebamus te.*

Misericordia: *Vinum non habent.*

Constantia: *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius.*

Cuius merito passionis ac crucis filij tui hasce nobis virtutes obtine, ô pientissima Mater, vt tuam illis expressam virtutibus vitam si non proxima, at remota certè consecremur imitatione, per eamque ad caelestis gloriae societatem attingamus. Amen.

## C A P V T VI.

*De affectibus pijs in recitatione Rosarij concitandis.*

**T**Ribus vitæ spiritualis gradibus, siue tribus illis celebratis viis, purgatiuæ, illuminatiuæ, vnitivæ, quibus hæc terna Rosarij mysteria possunt accommodari,  
tres

tres respondent affectus eximij, cōpunctio, admiratio, exultatio. Etenim elucēt in hisce mysterijs summa Dei potentia, sapientia, & bonitas. Ex Dei potentia cōpunctio, ex sapientia admiratio, ex bonitate nascitur exultatio. Ac prima quidē harum affectionum propria est tiro- num & incipientium; altera proficien- tium; tertia perfectiorū. quamquam in omnes æquē hominum spiritalium clas- ses, in omnesque promiscuē vias cadere, & vniuersim ex omnibus quoque my- sterijs deduci posse videntur tres istæ cō- templatiuorum hominum affectiones. Alia vulgò receptior affectuum partitiō est, penes quam mysteriorum horū dis- tributio & appellatio facta est, de qua Latinus Poëta:

*Hinc metuunt, cupiuntq̄, dolent, gaudentq̄.*

Gaudium, est boni præsentis; spes, ab- sentis; dolor, mali præsentis; metus, im- minentis. Quas affectiones vti vitiosas ægritudines animi, Stoici penitus con- uellendas censent; Peripatetici, mode- randas; nostri, in rectam potius dirigen- das viam, & in rebus exercendas; quæ ho-

minem deceant, quæ sint honestæ & salutares. Penitus eas conuellere, idem sit quod hominem ex homine tollere; moderari, quod concitatis equis in deuo loco & præcipiti frenos iniicere: abs rebus inutilibus noxiisque ad honestas salutaresque traducere, id omnino Christiani & Parthenij Sodalis officium est. Atque ubi quæso purius, sincerius, solidiusque gaudeat, quam commemoratis illis primis Verbi incarnati mysteriis suæque salutis primordiis, quam audito Euangelij bono nuntio de sua totiusque generis humani redemptione, quam in terris nato Salvatore, oblato in templo, ibidemque post duodenni ab amantissima Matre post triduum reperto? Dolor autem & luctus qui potest esse salutarior, magisque secundum Deum expetendus, quam qui de Christi Domini passione & morte indignissima & acerbissima colligitur? si quis in nobis est humanitatis sensus, si Filij Dei Salvatoris cruciatus acerbissimos, si Matris afflictissimæ dolores ad nos pertinere censemus, qui possumus hæc luctuosa memorare mysteria,

steria, & non eodem illo quo maternum pectus effossum fuit, mœroris gladio transuerberari? Spes autem & metus quibus in bonis malisue rectius collocentur, quàm extremis illis, summis alterius vitæ sempiternis? Fuit magni Regis elogium, *Nec spe, nec metu*: rerum caducarum quæ tempore concidunt atque effluunt, rectissimè; at sempiternorum bonorum malorumque, *Et spe & metu*. Spe bonorum, metu malorum commoueri oportet; speranda gloria, metuenda pœna sempiterna. Duo sunt vbera sponsæ ex interpretatione S. Bernardi, Congratulatio & compassio, iuxta illud Apostoli, *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*; quæ in hisce sacris mysterijs cum fructu & sensu pietatis velut exugenda præbentur, dum in primis gaudij Beata Mater gratulationem exigit: *Congratulamihi mihi, quia cum essem paruula, placui Altissimo, & de meis visceribus genui Deum & hominẽ*. in secundis luctus compassionem: *Ne vocetis me Noëmi, id est, pulchram; sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens*. at in

Serm. 10.

Rom. 12. 15

In offic. Ecclesiast.

Ruth. 1. 20.

ter-

304 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
tertijs gloria, spem nostram & expecta-  
tionem exsuscitat, quæ filij imprimis  
merito, tum sua quoque nitatur ope &  
intercessione, confidere nos in sese iubet  
assumpta, & ad dexteram Saluatoris filii  
in empyreo cælo cõsidente Domina ac  
Regina: *Qui mihi ministrat, me sequatur, &  
vbi ego sum, illic sit & minister meus. Salua-  
rorẽ expectamus, qui reformabit corpus humi-  
litas nostræ configuratum corpori claritatis  
sue.* Dum igitur veniat Saluator, & in suã  
ac Beatæ Matris aulam cælestem nos tra-  
ducat, dum futuræ illi vitæ clarus vtrius-  
que conspectus, & plena deitatis fruitio  
reseruatur; interim in hisce sacris my-  
sterijs castæ sint delicia nostræ, hîc no-  
stræ lætitiæ tristitiæque versentur, hîc  
spes & expectationes finiantur. Ac pri-  
ma quidem illa lætitiæ tristitiæque af-  
fectio, congratulatio, & compassio ex  
obiecta nuda cuiusque mysterij facilli-  
mè gignitur historia. Hæc verò si peni-  
tius inspicatur, ex adiunctis circumstãtis  
mox aliæ salutarẽ enascentur affectio-  
nes. Si, quorum salutis causa gesta sint ea  
mysteria, quibus bono & emolumento  
ces-

Ioan. 12.  
v. 26.  
Philip. 3.  
21.

cesserint, inspiciamus; mox orietur compunctio & confidentia, cum ad expianda peccata nostra Deuseffectus homines eas omnes quas repræsentant mysteria, gesserit atque pertulerit; vt nos è peccatorum, mali dæmonis, mortis erutos dirissima seruitute, in filiorum Dei libertatem assereret, vberemq; gratiam, qua cælestis regni adiremus hereditatē, largē & benignē conferret. Si verò supremam diuinæ personæ maiestatem attendamus, & Saluatoris latentem sub humanitate diuinitatē, arctissimo eiusdem hypostaseos illi nexu colligatam; si Virginis quoque Matris incomparabilē puritatem, sanctitatem, virtutem, dignitatem: Exorietur admiratio, quo præcipuē in iis mysteriis vtriusque deiectio maior elucescet. Si modum rationemq; qua singula perfecta sunt mysteria, perquiramus; illustria ad imitandum omnium exempla virtutum, humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, obedientiæ, fortitudinis, constantiæ, & charitatis inexhaustæ comperiemus, quarum desiderio & studio vehementiùs incendamur.

mur.

306 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
mur. Denique (longum sit enim omnes  
piarum affectionum fontes vberimos  
hîc demonstrare) si quo charitatis affe-  
ctu suscepta atque obita ea sint myste-  
ria, quo tum Saluator, tum clemētissima  
Mater immenso quodam amore aduer-  
sus nos exarserint, cū eas res gererent  
aut tolerarent, in singulis mysteriis pau-  
lò attentius expendamus; nisi stipites si-  
mus & saxei, ad aliquam animi gratifi-  
cationem, mutuūq; vicissim red-  
hibendum amorem incitabimur, cū  
amor amore rependi debeat, eumque  
præcipuè reposcant hî nostræ salutis a-  
mantissimi parentes, omniumque nobis  
auctores bonorum. Princeps omnium  
affectionum est amor, ceterarum origo  
& scopus, principium & finis, radix &  
fructus eximius; vt ignis igne, sic amor  
amore succenditur, nihilque perinde  
valere potest ad animos nostros aduer-  
sus Christum Dominum & Sanctissimā  
Matrem inflammandos, quàm si atten-  
tius expendamus quis fuerit eorū in nos  
ardentissimus, immensus & inexhaustus  
amor. Tum ad ipsam gaudij magnitudi-  
nem,

nem, doloris acerbitatem in hisce mysterijs perspiciendam hic amor maximè est obseruandus, qui filij aduersus matrem, matris aduersus filium extiterit: vt enim origo, sic & mensura est amor cæterorum affectuum. Ex earum, inquit S. Augustinus, personarum amissione quæ nobis necessitudine aliqua sunt coniunctæ, tantum necesse est vrat dolor, quantum hæserat amor. Et verò in nos quoque maior huius sacri gaudij dolorisq; copia dimanabit, quo Saluatori & SS. Matri amore propiores & coniunctiores fuerimus. Verùm quis vlla suspicione consequatur quàm immensus filii Saluatoris aduersus matrè, matris aduersus Deum filium amore exarsit, cùm vulgaris quoque maternus amor vix satis æstimari queat? Si bona quæpiam mater, bonusq; filius tam impensè se diligunt; quantum dilexerit, quantum dilecta fuerit hæc optima mater, quæ sola mater, sine patris terreni consortio salua fuit integritate, summa semper in filium Deum, conditorem ac redemptorem suum, à quo tot eximiis affe-

21. de Civ.  
vii. c. 26.

308 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
affecta esset beneficiis, obseruantia, quã  
ipse Filius ab æterno delegerat matrem,  
omnibusque gratiæ cumulauerat orna-  
mentis, expertem omnis culpæ iam à  
primo conceptu omni sanctitate & vir-  
tute complebat! Quæ fuit huius quoque  
filij aduersus amantissimam matrem tã  
sui obseruantem, tã amantem, tam omni  
amore dignam, mutua beneuolentiæ at-  
que obseruantię significatio! iam quan-  
tum ex hisce mutuis flammis, mutuoque  
tot annorum suauissimo conuictu amo-  
ris conflagrauit incendium! O si ex eo  
scintillula quæpiã in frigida corda desi-  
liat, si hoc sancto diuini amoris igne cor-  
riperemur, & ardentem quoque Deum  
nostrum hominem effectum nostri cau-  
sa, vel infantem puerumue in gremio  
Matris, vel extrema perferentem tor-  
menta, vel resurgentem, & beatæ nobis  
iter immortalitatis sanguine suo con-  
signantem, eodemque directo virtutum  
tramite præeuntem, tum illius causa Ma-  
trem amantissimam omni beneuolentiã  
complectamur! O quàm tunc præclarè  
nobiscum ageretur, quàm ex hisce my-  
sterio-

steriorum Rosarijs fructū reportaremus  
eximium! Si tener est & mollis amor ad-  
uersus Deum infantem vtero adhuc ma-  
terno clausum, aut de matris collo & cæ-  
lesti pendentem vberē puerū, eundem &  
adoleſcentē in templo aut intra priuatos  
Nazarenę cellæ parietes; aduersus tener-  
rimam Virginem puerperam sinu suo  
Deum fouentem, brachijsque amplexā-  
tem, aut cum puero Deo versantem: for-  
tis erit & constans aduersus eundem no-  
stræ salutis opus per indignissima ac a-  
cerbissima supplicia perseuerāter ad vs-  
que mortē exequentem; aduersus Dei-  
param ad crucis filij pedem animo for-  
tissimo stantem, extremumque excipiē-  
tem spiritum, etsi mœroribus omnibus  
esset oppressa. Verūm planè spiritualis,  
cælestis, diuinusque euadet hic amor,  
cū in eundem feretur resurgentem, at-  
que ascendentem in cælum, in idemque  
domicilium Matrem & anima & cor-  
pore assumentem, & eam coram omni  
cælesti curia diademate sempiterni regni  
sui supremo coronantem, cū à sacro-  
sancta eius humanitate in deitatem pla-  
nè

nè commigrabit, vniusque futurae vitae immortalis desiderio succendetur, cum ad vnum Christi Saluatoris & Beatæ Matris in cælesti gloria conspectum adspirabit.

## CAPVT VII.

*De actibus fidei, spei, & charitatis, alijsq; internis in recitatione Rosarij usurpandis.*

**C**Um Rosarij decadibus quindecim quindena sint assignata mysteria, dum interea preces Dominica & Angelica voce percurruntur, duplex iniri potest ratio ea mysteria commentandi. Vna, si quaque decade mysterium ei respondens generatim & confuse meditando pertractemus, & vbi affulserit cælestis illustratio, vbi concitata fuerit affectio pietatis, illic tantisper hæreamus. Altera, si mysterium istud ad quaque decadem in decem puncta partiamur, vt singula singulis Angelicis salutationibus ex ordine respondeant, obiterque

que pio illo, quem sepe aliàs concitatum  
 fuisse oportuit, affectu quasi cursim re-  
 petito potiamur. Rosarium enim non  
 tam est attentam mysterij meditatio, quàm  
 eius quæ iam antè præcesserit compen-  
 diosa repetitio, ac veluti iam antè perce-  
 pti fructus delibatio & degustatio. Quo  
 sit hæc vtraque ratio facilior & expedi-  
 tior, expedit imprimis theologiarum  
 virtutum actus fidei, spei, & charitatis  
 circa hæc mysteria quàm frequentissi-  
 mos exercere, vel ad Christum Domi-  
 num, vel ad Sanctissimam eius Matrem  
 allocutione directa: Credo te Deum  
 meum hominem effectum hominis  
 causa, Baptistam ex utero materno fan-  
 ctificasse, natum in Bethlehem stabulo,  
 quòd omni exclusus esses diuersorio, re-  
 clinatum in præsepio, oblatum in tem-  
 plo, ibidem repertum duodennem. Ad-  
 auge hanc fidem meam, adauge spem  
 tuis innixam meritis. Confido per te  
 mihi partam salutem, non defuturam  
 mihi gratiam tuam, quam mihi promeri-  
 tus es profuso sanguine in Oliuarū hor-  
 to, cum flagris ad columnam in Pilati  
 præ-

præ-

312 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
prætorio concisus es, cùm spineo dia-  
demate coronatus, cùm tot tamque in-  
dignis modis illusus, vt falsus propheta,  
vt rex theatralis, cùm crucem gestasti,  
cùm in ea fixus tres horas pependisti, &  
spiritum in manus Patris tradidisti. A-  
mem te de hac tua infinita in homines,  
& me speciatim indignissimum charita-  
te: diligam te ex toto corde meo, &  
meum erga te testificer amorem aliquo  
virtutis officio, vt tuū erga me tot aper-  
tissimis per hæc mysteria significati-  
bus demonstraſti. Amem te mei causa  
flagellatum, crucifixum, per summa tor-  
menta morientem, confidam tuis ali-  
quando meritis ad resurrectionis glo-  
riam, & immortalem tecum agenda vitæ  
societatem me peruenturum. O Beata  
Mater, à filio tuo Salvatore fidei, spei &  
charitatis ex hisce mysterijs incrementa  
in dies maiora mihi procura; de tua filij-  
que tui benignitate nunquam diffidam,  
collocem in eo vno spes omnes meas.  
Diligam te quoq; matrem Domini mei,  
quem nouem menses vtero gestasti, que  
partu virgineo edidisti, quem lactasti,  
fasci-

fasciasti, tota sedulitate enutriuisti, cui ante omnes omnino mortales rediuiuus apparuit, qui te supra omnes ardentissimo semper amore complexus in cælum assumpsit, & cælestis regni diademate coronauit. augeatur hoc in me donum amoris purissimi. His obeundis actibus præstantissimarum virtutum, quæ & dignitate morales longissimè præcellunt, & ad meritirationem, gustusque interni suauitatem vberrimæ sunt, condienda & permiscenda est sacrorum Rosarij mysteriorum commentatio, quæ velut anima est vitaque Rosarij.

Adhiberi potest & aliud præstans exercitium, quod quinque mentis actibus constat, & ipsis maximi meriti maximi-que fructus & gustus spiritualis. Primus actus est adoratio: vel latriæ, qua nos Deo supplices omnino substernimus, uti eius indignas creaturas, quæ quidquid sumus, habemus, possumus, tum in ordine naturæ, tum gratiæ, ab eo & per eum sumus, habemus & possumus, quæ Christo Domino creatori ac redemptori nostro suprema quoque debetur adoratio:

O vel

vel hyperdulæ, quâ Sanctissimam Deiparam, vti Dei nostri Matrem, Reginam Dominamque nostram eius serui veneramur. Nullum est mysterium, in quo non possit ea supplex adoratio præstari suscitata fide delitescens deitatis in Christo, cui humanitas hypostatico nexu cohæret indissolubili.

Secundus actus est oblatio mysterij quod quaque decade recogitatur, vel Augustissimæ Trinitati, vel specialiter Christo Domino Redemptori, vel eius animæ beatissimæ, vel sanctissimæ Genitrici facta, vt eius accedente gratia & commendatione apud Deum, gratiosior euadat oblatio, vt per eius manus delatius maius obtinendæ gratiæ pondus habeat. Offero tibi, ô Beata Trinitas, æternum Verbum incarnatum, nouem menses, quos vtero clausus Saluator delituit, quos actus amoris ardentissimos elicit, in Oliuarum horto, inter flagra, &c.

Tertius est gratiarum actionis de quoque mysterio, & innumeris per illud patris beneficijs, de suscepto labore, dolore, cruciatu, de gratia eius merito li-

beraliter nobis indulta, & Sacramentis institutis, de regni cælestis aditu patefacto, & de peracta nostra redemptione. Haberi quoque potest ac debet B. Matri gratia, quòd filio comes & adiutrix in quoque extiterit mysterio ad salutem nostram, ex eius incensissimo desiderio, quòd infantem educarit, quòd astiterit ad crucis eius pedem, tum vti nos adiuuet in referendis Deo filio gratiis obsecranda est.

Quartus est petitionis & obtestationis, per ea sacra mysteria gratiam nobis ac virtutes, quibus in eius obsequio opus habemus, indulgeat, spiritum suum bonum nobis donet, timorem & amorem, in gratia & amicitia, qua nos dignatus est, ad vsque vitæ finem perseuerantiam.

Rogo te, Saluator, per diuinam tuã conceptionem, per tuum natalem & stabulum Bethlemiticum, per profusum sanguinem in Oliuarum horo, cum te ad has angustias redigi voluisti, vt diceres, *ristis est anima mea vsque ad mortem; per flagellationem, coronationem, crucifixionem, &c.* da mihi gratiam tuam, in-

O 2                   dolge

dulge peccata vitæ præteritæ. Clementissima Mater per hæc te sacra obtestor mysteria, ne me deferas in extrema mortis hora, &c.

Quintus denique satisfactionis, cum horum respectu mysteriorum pœnas nobis condonari peccatorum, hac in vita aut in altera Purgatorij flammis exolvendas postulamus; sed maxime cum pro defunctorum animabus eam satisfactionem, quæ in quoque mysterio repetitur exhibemus. Nam sunt sanctæ illæ anime Deo gratissimæ, in eius gratia & amicitia confirmatæ, mox ad eius clarum conspectum adituræ; sed interim dum hoc nobis subsidium precum & satisfactionum expostulant, ipsæ sibi nequeunt pitulari in summis flammarum infernalium cruciatibus constitutæ, quoad penitentiam & iustitiæ rigorem exsoluerint, quæ si iuventur à nobis, ut mitigatis pœnentiusque ad exitum perductis, in celestis domicilium, quod Dei conspiciendi causa tanto pere aspirant, maturius transmittantur; existent in omnem æternitatem.

long  
cto  
Dep  
tio,  
requ

M  
nis  
reb  
An  
lect  
teri  
Or  
& a  
fui  
ror  
run  
De  
or  
ru  
fid

longè gratissimæ. Quare valdè sim auctor, Rosarij clausula semper sit Psalmus, *De profundis*; & pia illa frequens adspiratio, *Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.*

## CAPVT VIII.

*De Corona & Corolla Deiparæ.*

**M**Aiores nostri, vt abundabant pietate, nec externa multa deuotionis excitamenta vel condimenta requirebant, eadem oratione Dominica vel Angelica salute sepiùs repetita valdè delectabantur. quare vt Rosarium ac Psalterium Dei Matris à S. Dominico eiusq; Ordinis Patribus inductū, auidè arreptū, & ab vniuersis maximè frequentatum fuit: ita Religiosi Patres S. Francisci coronam LXIII. salutationum Angelicarum, quot annos ab iis vixisse credebatur Deipara, interiecta ad decades singulas oratione Dominica, facillimè propagarunt, atque in vsum apud omnes propè

*Lib. 5. de  
Virg. c. 1.*

O 3      qui

*Ad an.  
Christi 48.  
Suares.  
disp. 1.  
sect. 1.*

qui B. Virginem ad septuagesimum vsq;  
secundum aut tertium ætatis annum at-  
tigisse credunt (qua in sententia est Illu-  
strissimus Baronius) septimam adiciunt  
decadem. Nec difficile est supra comme-  
moratas precandi formulas in Rosario  
vsurpatas ad hanc quoque coronã accõ-  
modare, qua possunt quoque septẽ gau-  
dia Deiparæ aut mœrores præcipui men-  
te retractari, aut tota illius, Christi que  
Domini eius filij vita ac passio breui cõ-  
pendio recenseri. quare breuem eius  
elenchum quemq; sibi conficere oportet,  
aut ex editis libellis mutuari, in quibus  
& aliæ formulæ recitandi Rosarij aut  
coronæ comperientur, vt illa quæ pienti-  
ssimi Abbatis Blossii operibus inseritur.  
Aliæ item plures in operibus Iusti Lans-  
pergij Carthusiani cum pietate legun-  
tur.

Corolla B. Virginis duodecim cõstat  
salutationibus Angelicis, ad memorãdas  
duodecim singulares eius prærogatiuas,  
seu illustriores priuilegiorũ stellas, è qui-  
bus cæleste diadema compactũ est, quo  
vidit eam ornatam B. Ioannes in Apoca-  
lypsi,

lypsi, cū mulierem amictam sole vidit,  
 & in capite eius coronam stellarum duo-  
 decim. Quæ priuilegia duodecim quo-  
 que panibus propositionis adumbran-  
 tur, duodecim fontibus in Helim, duo-  
 decim lapidibus in veste Pontificis Aa-  
 ron intextis, duodecim lapidibus infer-  
 tis in altari; & ne omnes figuras colligā,  
 duodecim fructibus ligni vitæ. Hæce-  
 nim beneficia à filio Salvatore, qui lignū  
 est vitæ, ei cōmunicata fuere. Interferitur  
 trina oratio Dominica ad tres Augustissi-  
 mæ Trinitatis personas, à quibus ea pri-  
 uilegia per filiū & filij merito manarunt,  
 quodque in iis & omnipotentia Patris,  
 & sapientia Filij, & bonitas & suauitas  
 charitasque Spiritus sancti perspicuè elu-  
 cescat, nobis que adoranda proponatur.  
 Vulgaris horum beneficiorum enume-  
 ratio hæc est: Primum, copiosissima gra-  
 tia in immaculata conceptione; Secun-  
 dum, Angelica salutatio; Tertium, Spiri-  
 tus sancti superuentio; Quartum, Filii  
 Dei cōceptio; Quintum, virgo sine ma-  
 cula, & virginitatis primiceria; Sextum,  
 sine corruptione fœcunda; Septimum,

320 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
sine grauamine & onere grauida; Octa-  
uum, sine dolore puerpera; Nonum,  
magnanimitas fidei in credendo; Deci-  
mum, profunda humilitas in obedien-  
do; Vndecimum, maxima discretio ser-  
monis in loquēdo; Duodecimum, sum-  
ma operis perfectio, & perseuerantia in  
rectè agendo. Videtur tamen futura cō-  
modior partitio, si tres isti quaternarii  
salutationum, Deiparæ vitam histo-  
riamque omnem complectantur. Vt Pri-  
mo, contineatur immaculata eius con-  
ceptio; Secundo, immunitas ab omni  
peccato; Tertio, acceleratio vsus ratio-  
nis, lætissimaque natiuitas; Quarto, præ-  
sentatio & educatio in templo. Secun-  
dus quaternarius exhibeat, Primò, An-  
gelicam salutationem, & æterni Verbi  
conceptionē; Secundò, grauidum Deo-  
que imprægnatum vterum sine corru-  
ptione, sine grauamine; Tertio, virgi-  
neum partum salua integritate; Quarto,  
educationem filii Dei, intimamque cum  
eo tot annorum consuetudinem. Extre-  
mo quaternario recenseantur, Primò,  
martyrium eius cordis ad crucis filii pe-  
dem;

dem; Secundò, gaudium in resurrectione, ascensione, conuersioneque eius in Ecclesia primitiua; Tertio, gloriosa assumptio & coronatio in empyreo cælo; Quarto, denique patrocinium totius Ecclesiæ, & suorum maximè Sodalium & clièrium. Concludi solet hæc corolla per Antiphonam *Salue Regina*, cum adiuncta precatioe, *Sancta Maria succurre miseris*. Sed quando hæc corona & corolla à PP. sancti Francisci profecta videtur, optima eius conclusio futura est ea precatio quam S. Franciscus Virgini addictissimus usurpare consueuerat, uti refert Canisius: *Sancta Maria Virgo, Lib. 5. c. 27.* non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, filia & ancilla altissimi Regis, Patris cælestis, mater Sanctissima Domini nostri Iesu Christi, sponsa Spiritus sancti, ora pro nobis cum sancto Michaele Archangelo, & omnibus virtutibus cælorum, & omnibus Sanctis tuum filium dilectissimum Dominum & Magistrum. Amen. Iterum: Sancta Dei Genitrix dulcis & decora Regem morti traditum filium tuum dulcissimum, Dominum no-

O s strum

322 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
strum Iesum Christum pro nobis exo-  
ra, vt ipse per suam piissimam miseri-  
cordiam & clementiam, & virtutem  
sanctissimæ incarnationis, & mortis i-  
psius acerbissimæ nobis indulgeat pec-  
cata nostra, Amen. Aut si quis Ecclesiæ  
precibus magis oblectatur, ad corollam  
adiiciat hymnū: *Quem terra, pontus, aeth-  
ra. O gloriosa Domina. Aue maris stella. Me-  
mento salutis auctor. Maria mater gratia.*  
Quemadmodum autem coronæ Dei-  
paræ adiungitur hæc minor corolla, ita  
Psalterio S. Dominici potest adiungi,  
aut eius vice ab hominibus occupatis le-  
gi Psalterium minus, trium orationum  
Dominicarum, & quindecim Angelica-  
rum salutationum, quindecim Deiparæ  
mysteriis interim mente ac cogitatione  
recensitis.

## CAPVT IX.

*De Officio Beatissima Virginis.*

**C**VM de Parthenij Sodalitatis differamus officijs, illud minimè prætereundum est, quod commune nomen Officij trito iam omnium sermone veluti proprium sibi vindicauit ab excellentia & præstantia, quod quæ nemo ferè est Fidelium, siue Religiosis astrictus votis degat intra claustra cœnobij, siue liberam agat in sæculo vitam, in Ordine sacro, cælibatu, aut coniugio, siue vir, siue mulier, quin frequenter vsurpet ac Beatæ Matri persoluat. quare minimè omnium negligendum Sodali, qui se totum eius cultui atque obsequio mancipauit. Pensum id est horarum septem Canoniarum, quod sacratissimæ Dei Matris Officium nuncupatur, ad imitationem similitudinemque maioris Officij Domini compositum: cuius quidem Officij maioris obligatione tenentur astricti, quot vel sacris Ordinibus initiati, vel Beneficiis

324 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
beneficijs Ecclesiasticis aucti ac locupleta-  
ti, vel proprio quodam Religiosi status  
instituto ad celebrandas Dei laudes cho-  
ro deputati censentur. Minoris Officij  
Dei Matris quotidie recitandi vinculo  
tenentur ex cōstitutione (cuius initium,  
Ex proximo Lateranensi, an. 1571.) Pij V.  
Pontif. pensionarij, quibus ex Beneficio  
annuatim pensio aliqua est consignata.  
At nemo est Sodalium, qui non se ad  
Dei Matris deprædicandas laudes pro-  
prio Sodalitatis instituto sciat astrictum,  
qui non se illius ob eximia ac quotidia-  
na beneficia pensionarium lubes agno-  
scat, plusque longè tum de acceptis, tum  
de speratis hisce beneficijs optimæ Ma-  
tri debere profiteatur, quàm si quis ei pe-  
cuniarius census penderetur è Benefi-  
cio. Quas ytilitates afferat hæc quoti-  
diana D. Matris Officij recitatio, quæ  
vel rei familiaris emolumenta, vel alia,  
sed præcipuè spiritalia lucra ac commo-  
da, ad animi pacem, tranquillitatem, sa-  
lutemque pertinentia, multis & rationi-  
bus & exemplis probari possit, sed vnum  
alterumue exemplū produxisse fat erit.  
Nar-

Narrat Annalium confector Illustris-  
 simus Baronius, cùm auctore Petro Da-  
 miano, eremi Monachos instituente, Re-  
 ligiosi Gamugensis monasterij ad con-  
 suetas Horas maiores Canonicas Officiũ  
 quòtidie Sacratiss. Virginis adiecissent;  
 extitisse Monachum quemdam impro-  
 bæ vitæ Gozonem nomine, qui de no-  
 uo hoc, vti aiebat, onere supra D. Bene-  
 dicti Regulas adiecto conquestus ceteris  
 persuaderet illud intermitterent. sed  
 quàm id malè verterit consilium, quam-  
 què id diuino Numini displicuerit, plu-  
 rimæ mox in illud cœnobium illatæ ca-  
 lamitates, hostium irruptiones, prædo-  
 num direptiones, cædes, rapinæ, clades,  
 incendia, aliaque infortunia docuerunt;  
 quibus nullo præsidio fuit à Monachis  
 implerata atque interposita Imperatoris  
 auctoritas. Verùm tantorum malorum  
 causam à Petro Damiano sunt edocti,  
 quòd de suo monasterio Matrem pieta-  
 tiseiecissent, eiusque preces horarias in-  
 termisissent. qua causa cognita ad pri-  
 stinum munus celebrandarum Virginis  
 laudum Officiũque dicendum reuersi,  
 O 7 præ-

Anno Christi  
 1056.

326 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
præsentem eius opem senserunt, ab omnibus ijs ærumnis & calamitatibus exempti. Atque hac Petri Damiani tum auctoritate, tum institutione factum est, ut latissimè toto orbe Christiano Occidentalis Ecclesiæ hoc sacratissimæ Virginis Officium propagaretur, nec à monachis modò & clericis, verùm & à laicis viris ac mulieribus hoc quotidianum pensum Deiparæ laudum ac precationum ubique passim exsolueretur.

*Ad annum  
Christi,  
1095.*

Narrat idem Baronius Urbano II. Pontifice cum belli sacri ad recuperandam Hierosolymam expeditio suscepta est in Concilio Claromontano, cum, ut erat, difficillima & ancipitis plena periculi videretur expeditio, ad eius optatū felicemque successum placuisse, ut imprimis D. Mater ad conciliandum diuinum Numen adhiberetur, visumque eius præcipuè precibus innitendum, inquit Baronius, quòd sciretur quæque ardua progressura feliciter, quibus B. Mariæ Virginis faueret gratia, & adspiraret auxilium. Egit igitur Urbanus Pontifex, ut horariæ illæ preces ac laudes, quæ vulgò  
Offi-

Officium Dei genitricis appellantur, quæq; apud Monachos Eremitas institutionis Petri Damiani frequentari cœperât, ad clericos quoque traduceretur, & velut appendix Officio diuino maiori connecterentur, vt populo Christiano D. Mater apud filium gratiæ conciliatrix existeret, eiusque præsidio ac patrocínio in tot tantisque discriminibus, quibus tū vrgebatur, præcipuè cõmuniretur. Quod Pontif. ac Concilij institutum tâta est ab omnibus exceptum animi propensione ac pietate, vt non clerici modò, verùm & laici cuiusque sexus, vti dixi, cõditionis, ætatis, hodieq; illud celebrēt haud vulgari animorum fructu, quem abunde restatur experientia. Haud ita pridem PP. Carthusianos easdem preces quotidie dicendas suscepisse, ac Sanctissimam Matrem sui Ordinis Patronã adsciuisse, ibidem adiicitur, & habetur in rebus gestis S. Brunonis. Nam cùm primi illi Carthusiæ Patres vitæ austeritate, loci horrore ac vastitate, rerum omnium egestate, ipsaque paucitate molesta, & aliis ex causis in maximis animorum versarentur

*Apud Suerium 6. Octobr.*

tur angustiis, ipso præsertim absente S. Brunone, quem Urbani II. Põtificis Romæ detinebat auctoritas; astitit inter illos vir quidam senio venerabilis, caluo capite, capillo crispo, quem Petrum Apostolum esse non dubitarunt: qui omnipotentis Dei nomine polliceretur, Sanctissimam Dei Matrem ipsos in illo loco deserto semper conseruaturam, eisque aduocatam & custodem futuram, si in eius honorem horarias preces quotidie persoluerent. quo disparente mira perfusi lætitia, communi consensu Deiparam Ordinis sui Patronam delegerunt. Quæ quàm fideliter promissa præstiterit, ex ipso eius Ordinis integerrimi primæuo rigore ac splendore in hunc usque diem conseruato perspicuum est. Ad idem hoc Officiũ recitandũ, quod reformatum edi curauit Pontif. Pius V. ceteris abrogatis, multiplici fideles Indulgẽtia prouocauit. Sed mihi Sodales pluribus cohortandi non videntur suamet sponte propensissimi. Id potiùs ex me querat, quam sit illud attentione persoluedum, & quæ ad eã parandã tuendamque

at-

attentionē adiumenta sint adhibēda. Op-  
 ptāda sanè sit illa deuotio, quæ à Dei Ma-  
 tris de cælestis nos gloriæ throno spectā-  
 tis & audiētis, in precibus nostris intimè  
 versantis suprema maiestate non sit alie-  
 na, quæ non planè indecōra, sed eius ex-  
 imijs laudibus longè quidem inferior,  
 vtcumque consentaneā tamen existat,  
 quæ Angelorum ac Beatorum choros  
 ad easdem laudes nobiscum celebran-  
 das de cælo prouocet atque alliciat, quæ  
 eximium quendam animi sensum ac ga-  
 stum pariat in mentibus nostris, magnā-  
 que cælestium solatiorum ac gaudiorum  
 copiam afferat. de qua deuotione D. Ber- *Serm. 1. in*  
 nardus: Immolantes hostiam laudis iun- *Cantic.*  
 gamus sensum verbis, affectum sensui,  
 exultationem affectui, grauitatem exul-  
 tationi, humilitatem grauitati, liberta-  
 tem humilitati; quo liberis purgatæ mē-  
 tis passibus procedamus & excedamus  
 per inusitatas quasdam affectiones spiri-  
 talis lætitiæ, in iubilei amœnitatibus, in  
 lumine Dei, in suauitate, in Spiritu san-  
 cto. Vbi non affulget cælestis hæc deuo-  
 tio, ne desit tamen attentio, laborandum  
 est;

330 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
est; psallamus non tantum voce, sed me-  
te præcipue, psallamus spiritu, mixta-  
que sit vocalis ac mentalis nostra pre-  
catio, quo sine recogitanda sunt myste-  
ria quorum passim in libellis expressæ  
præfiguntur imagines; ad Matutinum  
Annuntiationis, ad Laudes Visitationis,  
ad Primam Virginei partus ac Natiuita-  
tis Domini, ad Tertiam Circumcisionis,  
ad Sextam Epiphaniæ, ad Nonam Puri-  
ficationis & Oblationis Christi in tem-  
plo, ad Vesperas Fugæ in Ægyptum, & re-  
liquæ eius omnis cum Deo filio familia-  
ris consuetudinis ad vsque vitæ finem,  
dum & illum tota Palæstina deferentem  
Euangelium affectatur, & morienti ad  
eius crucis pedem assistit; ad Completo-  
rium orbitatis eius à Christi ascensu,  
Obitus ac gloriosæ in cælum Assumptio-  
nis. Quæ mysteria totidem sunt eximia  
Dei paræ gaudia, etsi plerumque magnis  
permixta mæroribus: ac commodè pos-  
sunt ad has septenas Horas aptari ac cõ-  
memorari mente præcipua septem gau-  
dia, septemque mærores vulgò notissi-  
mi. Aut si cui magis probetur mentem  
suam

suam in sacrosanctis Passionis Christi Domini mysterijs occupare, sumat illa ipsa quæ ad maiores Horas Canonicas adhiberi solent, quæ Glossa in cap. i. de celebratione Missarum, his versibus magis ad pietatem quàm ad artem & elegantiam factis complexa est:

*Hæc sunt septenas propter quæ psallimus Ho-  
ras.*

*Matutina ligat Christum, qui crimina  
purgat:*

*Prima replet sputis, causam dat Tertia  
mortis:*

*Sexta cruci nectit: latus eius Nona biper-  
tit:*

*Vespera deponit: tumulo Completa repo-  
nit.*

Fuit hæc Petro Fabro primo sociorum Orland. l. 3.  
histor. n. 35. B. Ignatij valdè familiaris attentionis comparandæ ratio, cùm in inchoandis ac decurrendis Horis mentem in Christi Domini cruciatibus ac passionis articulis defigeret, & vt psallendo progrediebatur, ita recolendis eius acerbioribus pœnis procederet: intendebantur enim Christi dolores, quo propiùs ad vitæ  
ver-

vergebat exitum; quare sibi quoque Faber attentionem censebat intendendam. Quæ ratio in D. Matris Officio mœroribusque præcipuè valet, cum filij morte minimè finiti sint illi mœrores, sed aucti, & quæ feralis lancea filij iam mortui latus nihil sentientis aperuit, eadem viuum matris pectus animamque in filij latentē corde transfoderit ac penetrarit.

Consuerat idem Faber ad singulas orandi Canonicas Horas subinde decies augustissima Iesu & Mariæ Matris appellare nomina; vt decem hæc in memoriam sibi redigeret, & inter psallendum spectanda proponeret: vnã Dei gloriã: deinde Sanctorum honorem: incrementa iustorum: postea liberationem eorũ, qui noxis tenerentur impliciti mortiferis: ad hæc rei Catholicæ fideique progressionem: mutuam inter Principes Catholicos pacem & concordiam: denique leuationẽ eorum quos ea ipsa hora dolor aliquis conficeret, vel animæ vehementior sollicitudo exederet, vel imminentis mortis horror inuaderet, aut purgatorius apud inferos ignis expiaret.

Hæc

Hæc illa decem ad Horæ cuiusque Canonice pensum sanctè recolebat, alienisque cogitationibus omnibus aditum præcludebat. Denique qua crebra Pater utebatur ad inspiratione, Pater cælestis, da nobis spiritum bonum; eadem ad misericordie Matrem licebit uti Sodali, ut eum spiritum obtineat à filio. Contrahi quoque potest hic numerus ad pauciora capita, quæ sibi quisque delegerit in preceptione proponenda, & septies quinquies dumtaxat sacratissima Iesu & Mariæ matris implorare vocabula. Apud nonnullos in vsu est S. Bonauenturæ Psalterium, quod est omni pietatis sensu refertissimum, sed tamen Ecclesiæ preces longè ceteris precandi formulis anteponendæ sunt. Alij breuiori quodam Officio Conceptionis immaculatæ magis oblectantur atque afficiuntur, quos non improbo: magnam enim illi Officio gratiã conciliat breuitas & mysterij dignitas, & fratris nostri Alphonsi Rodriguez auctoritas; sed ijs auctor sim ut in oratione ad illa verba (Conceptionem tuam recolo) alias quoque Deiparæ festiui-

stiui.

stiuitates ac vitæ partes adiiciant in hūc modum: Natiuitatem, Præsentationem, Annuntiationem, Visitationem, Virgineum partum, Purificationem, Stationem ad crucem, Assumptionem ac Coronationem recolo. De Litaniis, Hymnis, Antiphonis vulgò notis dicere supersedeo.

## CAPVT X.

*De quotidiano Missæ sacrificio.*

**N**Vllum planè Sodalis Parthenius officium Deiparæ honoris causa potest obire, quod æquè Patronæ suæ gratum sit & acceptum, vel animæ suæ fructuosum atque salutare, ac si quotidie sacro Missæ sacrificio cum sensu pietatis intersit: quod & lex sexta Sodalitatis facere eum iubet, & benignè prouocat à Gregorio XIII. centum dierum Indulgentia proposita. Nullum inquam hoc officio religionis aut præstantius aut salutarius, aut Deiparæ Saluatorique filio acceptius & honorificentius existit.

quod

quod opinor clarissimè perspiciet, quicumque secum expenderit, & cui offeratur hoc sacrificium, & quidnam offeratur, & à quo, pro quibus item, seu in quorum gratiam, quem in finem, qua denique ratione & modo. Quot enim sunt hæ circumstantiæ, tot sunt illustres huius sacrificij notæ, tot eius maiestatis ac dignitatis argumenta, tot eximij ac planè singulares illius fructus, tot vrgentes causæ, quæ nullo vnquam die intermittendum esse persuadeant. Scimus vni Deo rerum omnium principio sacrificium offerri. Et tamen si quandoque etiam de Sanctissima Deipara alijsque Sanctis Missæ celebrentur; non illis propterea sacrificium offertur, sed vni Deo, cui gratiæ de Deiparæ & Sanctorum felicitate gloriosisque triumphis aguntur, aut apud quem eorum intercessionibus implorantur, vt Deum nobis concilient propitiumque reddant. Quare suscitanda fides supremæ maiestatis Dei nostri, conditoris ac moderatoris rerum omnium, per quem sunt, conseruantur ac reguntur, cui supremum sacrificio cultum

reli-

*Trid sess.*  
22.6.3.

336 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
religionis latrariam deferimus, cui nos  
planè substernimus auctori vitæ ac mor-  
tis, cuius supremam in nos auctoritatem  
ac potestatem eo publico cultu profite-  
mur. Ergo ad Sanctissimam adimus Tri-  
nitatem venerandam, cùm ad Sacrum  
adimus, ad eum suppliciter adorandum  
Deum trinum & vnum, quem adorat  
omnis aula cælestis, cui sancto cum tre-  
more conclamant Seraphim & Cheru-  
bim, *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus  
Deus Sabaoth*. Vt eodem nos sancto pa-  
uore corripitur sit æquissimum. Quid offe-  
ratur & sacrificetur, id quoque perspi-  
cum ex orthodoxa fide, nempe Christi  
Domini Filij Dei corpus & sanguis sub  
speciebus panis & vini consecratis: ex vi  
quidem verborum, quâ tum eorum præ-  
cisa exoptulat significatio, sub specie-  
bus panis corpus, sub vini sanguis; sed  
per coherentiam & concomitantiam,  
cùm iam Dominus ad vitam immorta-  
lem resurrexerit, vbi corpus eius glorio-  
sum statuitur, ibi est & sanguis & anima,  
& diuinitas. item sanguis in corpore ani-  
matus hypostasi diuinæ copulatus, à qua  
nun-

nunquam seiunctus fuit. Totus igitur  
 Christus sub vtraq; specie hostia est quæ  
 offertur, eadem quæ super ara crucis  
 oblata est cruenta, & in extrema cæna  
 incruenta. Idem enim Dominus noster  
 æterno Patri sese victimam nostræ salutis  
 obtulit in cruce toto profuso cum vita  
 sanguine, vt Mosaico secundùm ordi-  
 nem Aaron sacerdotio finem impone-  
 ret, prioresque illas omnes cruentorum  
 sacrificiorum figuras impleret. Et in ex-  
 trema cæna sub speciebus panis & vini  
 consecratis, semetipsum obtulit, vt Eu-  
 angelicæ nouæ legis sacerdotio secun-  
 dùm ordinem Melchisedec, initium da-  
 ret. qua nullam potuit Ecclesiæ præstan-  
 tiorem diuinioremque hostiam relin-  
 quere, omni die in amoris sui passionis-  
 que & mortis obitæ monumentum ite-  
 randam: de qua rectè S. Hilarius intelli-  
 git illud eius dictum, *Claritatem quam de-  
 disti mihi, dedi eis*, humanitatem deitati  
 copulatam. de qua etiam spondit:  
*Ecc ego vobiscum sum vsque ad consumma-  
 tionem sæculi.* Iam primarius offerens idem  
 ipse est Christus Dominus, æternus sa-  
 cer-

338 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
cerdos secundum ordinem Melchisedec, semper uiuens ad interpellandum Patrem pro nobis, ad eius dexteram confidens, eandem illam hostiam eius maiestati gratissimam, quam in Ecclesia ei offerunt vicarij & administri sacerdotes, ipse per se offerens, primariusque sacerdos, ut nulla nec indignitate nec impuritate ministrorum violari fœdarique possit hæc hostia munda, quam toto terrarum orbe sibi offerendam per Malachiam prænūtiavit. Eius personam sustinent sacerdotes, ipsoque etiam externo vestitu ac gestu representant, & sacra uerba consecrationis eius quasi vice pronuntiant: ut hoc quoque summa sanctitas ac maiestas Missæ sacrificio concilietur. Si, cum in veteri lege Deo Creatori, boues, oues, hirci, vituli, turtures, columbæ, passeres, mutæ pecudes ab ijs ministris veluti lanionibus quibusdam manufactæ offerebantur in sacrificium; summa tamen erat adhibenda reuerentia, quia Deo rerum omnium conditori offererentur; quantam à nobis virtutem, pietatem ac sanctitatem exigit nouæ legis

gis hoc sacrificium, vbi Deo offertur eius vnigenitus ad eius dexteram confidens, idemque ipse est & sacerdos & sacrificium, offerens & oblatio? Si neque cogitari potest excelsior quàm is cui offertur, Deus opt. max.; neque dignior hostia nec sanctior, quàm quę offertur, ipsa Filij Dei humanitas sacrosancta, ipse Deus homo, Christus Dominus; nec sacerdos potest esse acceptior quàm ipse idem Dominus, in quo bene complacuit Patri; apparet summa huius sacrificij dignitas atque maiestas. Non est item obscurum pro quibus offeratur. Pro vniuersis qui in Ecclesia continentur, fidelibus orthodoxis, cùm sit hoc publici cultus publicum munus, ac speciatim pro ijs qui intersunt, vt sacerdos exprimit, pro circumstantibus: quibus ex infinito Christi meritorum ac satisfactionum thesauro certa mensura gratiæ satisfactionisque condonatur, actualis certè gratiæ ad rectè agendum perseuerandumque in Dei amicitia subsidium aliquod impetratur. Nec modò pro viuis, sed & pro defunctis propitiatorium est,

340 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
ad eas quas in Purgatorio luunt pœnas  
mitigãdas, maturiusque finiendas. Ergo  
quod pro nobis, propinquis, necessariis-  
que, pro totius Ecclesiæ bono, pro Ma-  
gistratibus Ecclesiasticis ac ciuilibus,  
qui nos regunt, breuiter pro omnibus  
ordinibus offertur, sacrificio penitus de-  
esse non debemus, cum præsertim tan-  
ta sit hodie Sacrorum oportunitas atque  
frequẽtia. Restat quem in finem & quo-  
modo offeratur, ex quibus capitibus  
eximij fructus sacrificii colligentur. Im-  
primis offertur ad supremam Dei maie-  
statem publico cultu colendam & testi-  
ficãdam, ad supremam quam in nos ob-  
tinet vitæ & mortis resque omnes crea-  
tas potestatem atque auctoritatem pro-  
fitendam. Ad actionẽ deinde gratiarum  
pro infinitis illius summæ bonitatis in  
nos beneficiis naturæ & gratiæ, creatio-  
nis ac redẽptionis; sed potissimum gra-  
tiæ & redemptionis per Christum Do-  
minum partæ, ad eius incarnationis, vi-  
tæ, passionis, mortis, resurrectionis,  
ascensionis, cæterorumque mysteriorum  
vitam expressamque commemoratio-  
nem.

nem: ad gratiæ subsidia, virtutum dona,  
 cæteraque quibus opus est ad assequen-  
 dam beatam æternitatem, quibus hæc  
 quoque præsens eget vita, corporis ani-  
 miq̄ue bona cælitus obtinenda. Ad pia-  
 rum denique animarum, vti dixi, Purga-  
 torii carcere detentarum aliquod leua-  
 mentum. Quæ iustissimæ causæ quem  
 non permoueant, nulla se re vniquam ab  
 audiendo Sacro reuocari patiat, quin  
 maximè semper optet hanc suæ seruitu-  
 tis aduersus Dei maiestatem, animiq̄ue  
 gratiæ propensi ad eius omne obse-  
 quium significationem dare? Quare de-  
 bet cuique maximè cordi esse hoc sacri-  
 ficium *λατρευτικόν, εὐχαριστικόν, ἰλαστικόν,*  
 propitiatorium pro viuis & defunctis,  
 omnium quæ cogitari possint sacrificio-  
 rum diuinissimum. Postremò qua ratio-  
 ne; coram Angelis Dei & vniuersa curia  
 cælesti, è qua principio statim in ipsa  
 peccatorum confessione Sanctissimam  
 Dei Matrem aliosque tutelares nostros  
 aduocamus, adesse velint intercessores  
 ac conciliatores diuinæ gratiæ, remissio-  
 nisque peccatorum, vt expiati ad sacrum

342 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
accedamus altare. Tum vt viua sit ima-  
go sacrificij quod Christus Dominus su-  
per ara crucis obtulit, expressaque fiat  
eius passionis ac mortis commemoratio,  
dum seorsim consecrantur diuinū cor-  
pus & sanguis, dū diuiditur hostia, eius-  
que pars vna in calicem immergitur, vt  
suo cruore Christus maduisse signifie-  
tur, dum absumitur à sacerdote, ac velut  
in sepulchrum sic in stomachum abdi-  
tur. Nec modò sit sacrificium, sed & Sa-  
cramentum, animarum nostrarum spiri-  
tuale diuinūque pabulum. Quare  
quàm frequentissimè re ipsa & sacramē-  
taliter, quotidie certè spiritualiter incē-  
so voto & desiderio communicare nos  
oportet. Et verò quos iam antè commē-  
morauimus, vsurpādi forent hīc maximè  
vel Theologicarum virtutum actus, fi-  
dei, spei & charitatis, vel communes illi  
adorationis, oblationis, gratiarum actio-  
nis, petitionis, & satisfactionis; quando  
hic ipse Christus Dominus præsens con-  
spicitur, tenetur, ore sumitur, in pectus  
dimittitur, ab ipsoque toties sacerdote  
suppliciter genu flexo adoratur, solemniter  
ritu

ritu offertur; ipseque est Eucharistia bona gratia, actio gratiarum, propitiatio, & satisfactio pro peccatis nostris. Nec verò potest vlla salubrior audiendi Sacri ratio formulaue præscribi, quàm quæ horum actuum mentis exercitatione continetur; si non languidè ac remissè, sed summa, vti par est, cõtentione mentis eliciantur. Quam ad rem implorandum est præsidium D. Matris. Hoc autem illã sacrificio delectari, tum ex ea quæ illi cum filio Deo, qui hîc est hostia & sacerdos, intercedit necessitudine: tũ ex ardentissimo illius diuinæ gloriæ nostræque salutis ac perfectionis zelo, quo maximè flagrat, demonstrari copiosè posset, si cuiuspiam foret incompertum. Atque vt suis in vita precibus ac votis vtramque hanc filij Saluatoris oblationem, & in ara crucis cruentam, & in nouissima cœna incruentam profecuta est & comitata, vt suam quoque tum adiunxit ardentissimæ charitatis oblationem Diua Mater, quã D. Epiphan. vti vidimus, sacerdotem appellat & altare: sic modò regnans in cœlis ad filij dextram, eandem

quoque cum sacerdotibus suæ Sodalitatis ministris pro suis clientibus oblationem representat Augustissimæ Trinitati, atque eam nobis salutarem esse precatur. Solent Græci Patres Christi Domini sacram humanitatem deitati connexam, & velut illa succensam, in calculo illo seu carbone ignito, quo labia purgata sunt Isaiæ Vatis, ad umbratam agnoscere, & Deiparam purificantis eius carbonis forcipem appellare, quòd deitati sacram circumposuerit humanitatem, Christumque ad nos detulerit. Aue, inquit Andreas Cretensis, Seraphica mystici anthracis fibula. Igitur ut eum ad nos ignitum carbonem deferat exoranda est, quo mentes nostræ purgentur, illustrentur, inflammentur, totæque in diuinum illum amoris ignem transformentur. Aut subinde cum ad Sacrum adimus, ad Caluariæ nos adire cogitemus, cum afflictißima Matre, Magdalena, B. Ioanne, ad crucisque Domini pedem assistere, stillantemque de sacratis plagis diuinum cruorem in animam nostram excipere, ad eam expurgandam & ornandam.

*Method. in  
orat. in  
Hypost.*

*Gregor. Nis-  
comed. de  
laud. Deip.*

*Damasc.  
l. 4. fid. Or-  
thod. c. 14.*

*Orat. de  
Annunt. 4.*

dam. quasi nos de cruce Saluator con-  
 tuens impensius Matri in Ioanne disci-  
 pulo commendaret, nosque illa in suam  
 fidem maternamque curam & prouidē-  
 tiam benignè reciperet: quasi cum Mag-  
 dalena crucem amplexi, tum Saluato-  
 ris extremas preces ac voces, tum Matris  
 adiunctas diuino eius cruori lacrymas,  
 æterno Patri offerremus. ne frustra sit  
 diuinus ille cruor effusus, frustra tot sus-  
 cepti cruciatus, frustra mors dirissima  
 crucis obita, spectate desolatissima Ma-  
 tre; sed ab ea placatus & exoratus huius,  
 quam quotidiana Missæ repetit oblaro,  
 cruentæ oblationis vnigeniti filij sui  
 copiosum in animam nostram fructum  
 deriuet. Amen.

## CAPVT XI.

*De vespertino Examine conscientie.*

**V**Num de præstantissimis Deiparæ  
 priuilegijs illud est, quod de ea te-  
 net Ecclesia, inquit Tridentinum; in to-  
 ta vita peccata omnia, etiam venialia, vi-

*Sess. 6.  
 can. 23.*

P ;      tauis-

tauisse; quod priuilegium nulla satis vnquam digna laude celebrari potest. Ex quo consequens illud est, quod de ea tradit Galatinus, & rationi consonum ducit Canis. Deiparam vsque adeò modestiam coluisse, vt eius oculi nihil vnquam inhonesti, nihil illiciti adspexerint; immò vt oculos nunquam eleuarit, quod cæteri consueuerunt homines, sed humi semper defixos tenuerit, nisi cum Deum oraret; eoque spiritu prophetiæ donatam fuisse, vt, si fortè quid inconcessum vel illicitum esset auditura vel visura, illico aures vel oculi clauderentur, ita vt non nisi Deo deseruire videretur. Certè nullam vnquam nec oculis, nec auribus, nec alio sensu minimæ etiam culpæ plagam accepisse certissimum est: nunquam per eas fenestras mors aditum habuit, in quibus gratiæ vita domicilium collocarat. Illud quoque mirum iam nemini videbitur, quod ex Alberto Magno tradit Antonin. quouis tempore Deiparam semper pro meritam fuisse, & gratiæ maiora incrementa cepisse, cum nunquam foret otiosa, sed continen-

*Lib. 7. de  
can Ca-  
thol. c. 5.  
Lib. 1 de  
B. Virg. c. 13*

*4. p. tit. 15.  
c. 20. §. 6.  
c. 4. §. 8.*

nenter quàm maxima posset contentio-  
 ne charitatis in Deum raperetur. Id  
 quod ex S. Odilone idem S. Antonin.  
 affert. Vnum pro certo scimus, quòd o-  
 mnis Mariæ & actio & intentio semper  
 fuit intenta in Deo, semper ad Deum  
 directa; cum actione coniuncta mentis  
 contemplatio, vt ne somno quidem &  
 quiete corporis interromperetur, vt ex *Cant. 5. 2.*  
 illo Cantic. colligunt: *Ego dormio, & cor*  
*meum vigilat.* Dormire non priùs cupidi- *Ambros.*  
 tas quàm necessitas fuit, sed & tum cum  
 quiesceret corpus, vigilabat animus, qui  
 frequenter in somnis aut lecta repetit,  
 aut somno interrupta continuat, aut dis-  
 posita gerit, aut gerenda pronuntiat.  
 Si de hominibus in felici statu innocen- *Lib. 5. cont.*  
 tiæ agentibus vera est D. August. senten- *Iul. c. 9.*  
 tia, tam felicia futura fuisse somnia dor-  
 mientium, quàm esset vita vigilantium;  
 nihil alienum à B. Virginis moderatissi-  
 ma corporis quiete, si tum animus vigi-  
 laret, & Deo vacaret, existimari debet.  
 Numquam igitur illa debuit in peccato-  
 rum examinatione ac discussione versari,  
 sed in iugi gratiarum actione: nos qui ab

348 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
cuius vigilia & somni felicitate absumus  
longissimè, qui aduersus Deum ingrati,  
quo pluribus in dies beneficiis ab eo ob-  
stringimur, eo plura ferè peccata cumu-  
lamus; qui neque diem, neque noctè in-  
nocenter, & ad eius gloriam, vti oport-  
uerat, sanctè transigimus; ad extremum  
certè diei, si meridie non patiuntur oc-  
cupationes, receptui canere, nosque col-  
ligere, & priusquam corporis indulgea-  
mus quieti, tempus aliquod precationi  
& conscientiaè discutiendæ tribuere  
conuenit; quod Sodalitatis lege VII.  
præcipitur. Duo illa, quorum cumulus  
quotidie crescit, exsoluenda sunt debi-  
torum genera: beneficiorum, & pecca-  
torum. de prioribus, quæ tam benignè ac  
largiter in nos effundere non cessat di-  
uina clementia, agenda sunt gratia: de  
posterioribus, quæ nos ingrati reponi-  
mus, mala pro bonis, postulanda venia  
& indulgentia. Equissimum fuerat, vt  
tot Dei beneficiorum, naturæ & gratia,  
creationis & redemptionis, ex animis  
nostris recordatio numquam abscede-  
ret, interdum certè sæpè recurreret. Quod  
si

si sæculi curæ & cogitationes inhibuerunt, decurso ad extremum die gratissimo recogitanda sunt animo, & simul ea quæ eo ipso die recentia diuinitus acceperimus, conseruationis, sustentationis, Sacramentorum, diuinarû inspirationû, piarum occupationum, &c. adijcienda. Tum quid etiã diei decursu peccatû sit, cogitatione, sermone, opere, omissione, diligentius inquirendû, exposcendæ rationes à conscientia cogitationum, dictorum, factorum, ac prætermissorum omnium, & quo par est pœnitentiæ concepto dolore supplex à Deo venia postulanda. Quæ deploranda est infelicitas nostra, diem nunquam, horam rarò, seriam vllam actionem absque intermixta culpa vix superamus atque euadimus. Ipsæ iustitiæ nostræ sunt tamquam pannus menstruatae, fomes ille prauæ concupiscentiæ omnium origo malorum reprimi vtcumque potest ac coërceri, at extingui minimè radicitusq; conuelli. Et quoniam, inquit S. Augustinus, tentatio est vita hominis super terram, etsi à criminibus longè firmus, non

*in psal. 118.*  
*5. 3.*

*Hom. 4. 2.*  
*450.*

*Hom. 2. in*  
*ps. 50.*

*Psal. 4. 5.*

deest tamen, vbi desiderijs peccati vel facti, vel dicti, vel cogitatu obediamus, quando aduersus maiora vigilantibus, quædam incautis minuta subreunt. Quare, quod monet alio loco, quoniam insudat aqua per angustas rimulas nauiculæ nostræ, ne impleatur sentina, & cymba mergatur, non cesserit à nautis, ambulent manus, & quotidie quod nautæ faciunt exhauriantur sentinæ. Exhauritur conscientiæ sentina diligenti hoc examine, de quo idem S. Doctor; Ascendat homo aduersum se tribunal mentis suæ, & constituto in corde suo iudicio adsit accusatrix conscientia, carnifex timor. De eodem S. Chrysostramus; Habeto codicem cōscientiam tuā, & scribe quotidiana peccata; antequam veniat somnus, reminiscere peccata tua, si quid in verbo, seu facti, vel in cogitatione peccasti. Hoc enim dicit Propheta: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus cōpungimini.* Dico in corde tuo, & in anima tua: Expēdimus diē, ô anima, quid boni fecimus, aut quid mali operati sumus? Et si quid boni fecisti, gratias age; si quid

quid mali, de cætero ne facias iudiciũ tibi metipſi facito terribile, leuiorẽ præpara confessionem, cogitatum tuorũ, hoc est erratorum, abs te pœnam exige, & ad futuram exhomologesiu te compara, anteuerte pœnitentiam, quæ tibi est imponenda, tum vt aduertas, quæ sit origo radixque peccatorum, ex qua tua proueniant propensione vitiata. Suspendito, ait idem D. Chryſoſtomus, cogitationes tuas in equũleo, vt nihil te lateat interiorum animi tui motuum, quando nemo debet eſſe teipſo tibi amicior, cum reuera nemo ſit inimicior, nemo proinde, cum tempus eſt clementiæ, ſeuerior iudex, vt Dei iudicium extremum illud, cui cedit miſericordia, totumque vindicabit iuſtitia, maturẽ præuertas & excutias. Tractat hoc idem argumētum S. Baſil. pluribus locis, variaque recenſet peccatorum genera que diſquiramus, cogitationes, verba, euagationem mentis inter orandum, deſiderium vitæ liberioris & comunis; & ait animum auocandum non ſolum à turpibus, ſed etiam à ludicris & inutilibus imaginibus,

Cum

Cum ijs quæ feceris pridie conferto, inquit, & cum ijs etiam quæ cogitaueris, cum animi decretis & propositis virtutis. Ex Basilio B. P. Ignatius desumpsit opinor, aut potiùs ab eodem Spiritu sancto edoctus est à quo & Basilius, genus quoddam examinis, quod particulare vocat, ad extirpandum vitium illud in quod præcæteris natura propendemus, quocum præcipuè certamen nobis inueniendum. Quo examine nullum est adiumentum ad omne perfectionis studium, certius, facilius, compendiosius; sed quotidianum esse debet, continuum, accuratum, & exquisitum, seuerum & indefessum, de quo item Bernardus non vno loco, pluribus. Sed claudatur hoc caput vnica eius apposita sententia, quæ non magis Carthusiæ quàm cuique Sodalitatis & Deiparæ cultori, non Religioso magis homini quàm sæculari ac communem agentem vitam apprime conueniat. Discito tibi præesse, & vitam ordinare, mores componere, te ipsum iudicare, & remet apud temetipsum accusare, sæpè etiam condemnare, nec impuni-

*Serm. 68.  
in Cant.  
ad Fratres  
de monte  
Dei.*

nitum dimittere: sedeat iudicans iustitia, stet rea & semetipsam accusans conscientia: nemo te plus diligit, nemo fidelius iudicabit. manè, præteritæ noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ diei tu tibi indicito canonem. vespere, præteritæ diei rationem exige, & superuenientis noctis fac indictionem. Sic districto, nunquam aliunde lasciuire vacabit, dum ille dies vltimus affulgeat qui nos beatæ transcribat æternitati.

## CAPVT XII.

*De deuotione seu oblatione sui met Dei-  
paræ Patronæ præstanda.*

**V**ulgari consuetudine loquendi, deuotio sumitur pro immissa cælitus suauitate, consolatione, lætitia, sensu & gustu rerum spiritualium, quo vehemētius inflammatur affectus, vt facilè ac iucundè virtutis opera fiant. In Theologicis tamen scholis, ab ea suauitate quæ maximè redundat in corpus, seiungitur deuotio, & à S. Thoma definitur, Prompta voluntas exequēdi quæ ad diuinum cul-

354 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
cultum pertinent. Est enim primus religionis actus, quo se deuouet homo & consecrat diuino cultui. Deuotio enim à deuouendo dicitur, sui ipsius ad Dei cultum oblatio, deditio, cōsecratio. Est quædam consimilis obseruantia atque hyperdulix, qua Dei matrem Patronam optimam colimus, deuotio, deliberata certa que voluntas exequendi quæ ad eius cultum pertinēt, cui magna ferè pax animi, tranquillitas, consolatio, lætitia, suauitas interna coniungitur. Nā verissimè de se Beata Mater: *Spiritus enim meus dulcis, & hereditas mea super mel & fauum.* Causa nostræ lætitiæ, & de qua Ambros. Qui potius ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis & splendida, suauis & virgo, quæ veluti cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. De hac deuotionis appellatione commodius aliàs. Nunc cuiusmodi esse debeat, non quidem edito voto, sed firmissimo tamen animi decreto ac proposito concepta deuotio, consecratio, seu oblatio Deiparæ facta, paucis edisseram. Nec incom-

*Eccl. 24.  
27.*

*In psal. 21.  
sub fin.*

commodè videor quæ disputat D. Basilius ad consimilem interrogationem, ad hoc institutum transferre posse. Quærit quonam animi affectu seruiendum Deo, & quid sit omnino quod *Ἀγάθη* vocamus, animi propositum, bonam affectionem? Respondet sibi videri esse desiderium Deo placendi vehemens, insatiabile, solidum, & immotum; vt tribus quatuorue notis id propositum Deo seruiendi circumscribere videatur. Traducamus hæc ad oblationem factam à nobis Deiparæ Patronæ, vt sit voluntas Deiparæ placendi, & quæ ad eius cultum pertinent exequendi, primum vehemens, id est, ardens, intensa, non remissa ac languida, sed summa contentione mentis elicitæ; deinde insatiabilis, quæ nulla mediocritate officiorum facile expleatur, sed alia atque alia præstare semper aueat, velut infinita & inexhausta; denique solida, stabilis, firma, certis innixa principijs, ac decretis confirmata; postremo, immota, constans, perseverans ad extremum vsque spiritum. Ad Deiparæ obsequium si propensam deuotamque

voluntatem hisce notis insignitam attulerimus, nihil est præterea quod magno-  
 pere à nobis requirat, quàm vt in eius  
 promouendo cultu vim omnem animi  
 nostri conferamus; nullum verò hîc ne-  
 que modum, neque limitem statuamus,  
 minimè vagi & ambigui; sed eisdè pic-  
 tatis & virtutis officijs ad filij eius Sal-  
 uatoris gloriam insistamus. *Esto præcellens*  
*in omnibus operibus tuis*, monet Ecclesiasti-  
 cus, in sacris certè & religiosis, quibus  
 optimæ Patronæ concilianda gratia est;  
 quæ numquam se à nobis liberalitate  
 vinci patietur, in quam quo fuerimus  
 propensiores, & affectu voluntatis ar-  
 dentiore, quo pluribus eam officijs atq;  
 obsequiis studuerimus demereri, eo vi-  
 cissim erit in nos materna cura sollici-  
 tior, charitate indulgentior, denique in  
 beneficijs & gratiæ donis conferendis  
 munificentior. si nulla nos officiorum  
 mediocritate contenti erimus, neci-  
 pla in suis donis beneficijsque terminum  
 ac modum ponet. Illud imprimis om-  
 nino necesse est. Prompta hæc Deiparæ  
 obsequendi & placendi voluntas, fir-  
 missi-

*Eccl. 33.*  
*v. 25.*

missimis quibusdam animi decretis stabilita ad vsque vitæ finem ea bene iuante producat. Inter quæ decreta primum illud esse debet altissimè cuiusque pectori infixum, numquam admit-  
tendi grauiorem vllam culpam, quæ nos à Saluatoris eius filij gratia & amicitia seiungat, hostique eius capitali cacodæmoni obnoxios ac seruos tradat. Qui culpam eam admittit, hic suæ aduersus Deiparam clientelæ renuntiat, & cum sit hostis filij, matris hostem se quoque profiteretur, rursus crucifigens sibi metipsum filium Dei, & ostentui habens, pollutam ducens ac proculcās diuinum eius cruorem pro peccatis effusum, eoq; grauiorem in filium ac Deiparam contumeliã ingerens, quo fuerat in eorum penitentiam receptus amicitiam. Quare in Sordalem Partheniũ lethalis peccati ne quidē cogitatio cadere deberet. Sed hoc alterum illi decretum summo studio foret obseruandum de vitanda insuper omni culpa veniali, quæ certè ex animi proposito, & certa sententiã suscipitur, si præcauere nō potest innumeras, quæ ex surre-  
ptio-

ptione sese non cogitantibus ingerunt.

*Psal. 118. 1. Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini. hi gratissimi sunt Deiparæ Sodalés, & quo erat animo Rex David, eodem & ipsa est aduersus suos, tanto impensius, quanto magis, & innocentia;*

*Psal. 100. v. 6. & 7. & puritatis amans. Oculi mei ad fideles terra, vt sedeant mecum. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Non habitabit in medio domus mee qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. Si tamen, quæ imbecillitas est humana, in aliquam aliquando prolapsi culpam fuerimus, mox ad pœnitentiæ Sacramentum adeamus, illudque sit tertium certissimum animi decretum, Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistię obeundi quàm frequentissimè, præfixis omnino temporibus Sodalitatis lege atque instituto nunquam illa prætermittendi, tum cæteras ad Deiparam preces consuetas, Litanias, Rosarij pensum diurnum quæcumque grauissimæ incidant occupationes exequendi: quæ sicerunt temperandæ, vt nunquam quod satis sit ad hæc in Patronam officia  
pie-*

pietatis cæteris longè curis anteponen-  
da, vacui temporis desit. Denique sica-  
gamus, vt nos obsequij nostri Deiparæ  
exhibiti sub extremam horam minimè  
pœniteat, sed illam tum maximè beni-  
gnam propitiamque in hoc extremo fu-  
turam agone confidamus & experia-  
mur.

## CAPVT XIII.

*De annua deuotionis huius seu obla-  
tionis innouatione.*

**E**A est infelix naturæ nostræ conditio,  
vt in eodem siue corporis, siue men-  
tis statu minimè diu subsistat, sed aut  
proficiat atque incrementa sumat, aut  
decreseat atque deficiat. Cùm prima  
ferueant vitæ melioris initia, sensim illa  
tepscunt, & nisi magna adhibita cura  
conseruentur, & subinde innouentur,  
ferè languescunt & cuanescunt. Quem-  
admodum qui aduerso flumine lem-  
bum trahit, si remiserit manus, statim re-  
tro labitur, ait præclarè Hieronymus: sic

*Lib. 3 ad-  
uersus Pe-  
lagium.*

hu.

360 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
humana conditio, si paululum remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Violentus est naturæ corruptæ deorsum semper suo pondere vergentis ad cælestia sursum incitatus motus, qui vehementior initio mox sese remittit, & languescit in fine, nisi diuinæ gratiæ virtus illa motrix & impultrix accrescat atque innouetur, nisi ad contentionem remorum in naui contranitentibus vndis afflata benignior aura Spiritus sancti, expansis nouorum desideriorum ac votorum velis excepta succurrat. Rectè nos ore Dauidis admonet Spiritus sanctus, vt obseruat S. Chrysostomus: *In fine ne corrumpas*; quia, si quando, in ipso progressu & exitu maxime vigilantia & contentio desideratur. vt prædones (ait hic sanctus Doctor) inanem nauim cum soluitè portu, & merces aliunde quærit, inuadere non solent, sed cum mercibus onusta portum repetit, tum illam inuadunt atque diripiunt; ita diabolus, vbi complures magno studio virtutes collegeris,

*Hom. 3. de  
verbis Isa.*

geris, tum te quasi mercibus plenam nauim inuadit, vt non modò tua præda ditetur, sed quo erit spectabilior ruina, eo plures tecum in perniciem trahat. Igitur tum maximè opus est vigilantia, tum que maximè necessaria est hæc admonitio, ne in portu naufragium, *In fine ne corrumpas.* Vt stirpes in arentes & siticulosos saltus transplantatæ, nisi continenter irrigentur, mox exarescunt; vt aqua ab igne submota, mox sua sponte redit ad nativum frigus; vt arcus ad iaculandum magna vi contentus, elapsa sagitta per se ipsum remittitur; ita natura vitiata licet primùm magna vi diuinæ gratiæ compressa atque in officio cohibita, mox per se ipsa redit ad ingenium, &, vt ait Poëta,

*Naturam expellas furca, tamen vsque recurrit:*

ita virtus omnis nostra veluti cum aduersa & peregrina gleba conflictatur, breuique exarescet nisi nouis quotidie subsidijs gratiæ foueatur; ita diuinus ardor marcescit sua sponte atque extinguitur. Quid igitur remedij, nisi vt hinc

Q per

per interualla diuinus ignis exsuscitatur, nouæ de pharetra promantur ardentium desideriorum sagittæ; quam initio concepimus erga Beatam Matrem ardentem pietatem, eandem quotidie sub matutinum tempus, aut certè vesperinum examen innouemus, eandem quotidie deuotionem & oblationem nostri ipsorum cum sensu pietatis iteremus, vt illud Iob experiamur: *Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.* Accedunt & externa remissionis animi causæ, vel hostium nostrorum fraudes ac doli, quibus nos à studio virtutis obiectis rerum caducarum blandimentis auocant; vel amicorum sæculi consuetudo, quorum exempla & colloquia ferè terrena, velut iniecta frigida, mentis ardorem restinguunt. Quare verissimè ait Gregorius: A feruore enim mentis vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipsi aliquo modo viuendi vsu veterascimus, & assumptæ nouitatis speciem suffocamus. Quamobrem vtendum eo quod præscribit Sanctus hic Pater, oportet.

Iob 29. 20.

Lib. 9. Moral. c. 16.

portuno præsidio renouationis huius  
feruoris primitiui. Quippe, inquit, ani-  
mus noster, dum igne amoris excoqui-  
tur, semper in se seruat charitatis pul-  
chritudinem, quotidiana innouatione  
feruoris; nescit enim mens per torporem  
veterascere, quæ studet per desiderium  
semper inchoare. Hinc namque per  
Paulum dicitur: *Renouamini spiritu mentis* *Ephes. 4.23*  
*vestra.* sic Psalmista, qui ad culmen perfe-  
ctionis peruenerat, quasi inchoans, *dixit,* *Psal. 76.11*  
*Nunc cæpi.* Quia si cessare ab actualibus  
bonis nolumus, valdè necesse est in-  
choare nos quotidie credamus. Extat  
formula eius oblationis, quam quoque  
manè ceteras inter preces ex animi in-  
timo sensu recitare vehementer expe-  
diat; certè sub cuiusque mensis initium,  
prima Dominica quâ solennis commu-  
nio Sodalibus indicitur, vt alio capite  
est indicatum; certè semel iterumque  
quotannis quo primùm die Sodalitatem  
quis iniuit, quem diem agere debet an-  
niuersarium quàm maximè solennem,  
in eoque tum maximè repetenda hæc  
Deiparæ facta suimet solennis obla-

Q 2                   rio.

364 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
tio. Valdè laudanda est, quæ apud mul-  
tos recepta est consuetudo, quotannis in  
publico cœtu ac conuentu ex formula  
repetita suimet oblatio, & consecratio  
cuiusque facta Sanctissimæ Patronæ,  
cum apparatu, & nouo quodam sensu  
pietatis. Ex qua & illa singularis confe-  
quitur utilitas, quòd non modò confir-  
matur ac stabilitur animus in hoc Dei  
paræ placendi studio & decreto, sed par  
quoque meritum Sodalis adipiscatur ei  
quod erat in primo Sodalitatis ingressu  
consecutus. Vt enim in actibus odij re-  
petitis par est iniuria, par pœna; sic & in  
actibus amoris par quoque ratio meriti  
& par merces, cum Deus ad remuneran-  
dum longè sit quàm ad puniendum pro-  
pensior. Vt solent honorarijs Principum  
ephebis nouæ quorannis vestes, nouæ  
que cultus corporis adhiberi; sic Beata  
Patrona quasi tum primùm nouo quo-  
dam animi feruore in suam adscitos do-  
mum & familiam, nouis cælestium do-  
norum ornamentis insigniet, & quasi  
suos speciali gratia denotabit. Ita velut  
aquilæ iuuentus eorum feruor pietatis

innouabitur : quasi aquæ viuæ salientes  
 in vitam æternam impetu repetito, nun-  
 quam marcescent , neque situm con-  
 trahent , & quod est in psalmo eueniet,  
 Domina in lumine vultus tui ambula-  
 bunt, & in nomine tuo exultabunt tota  
 die, & in iustitia tua exaltabuntur. Quo-  
 niam gloria virtutis eorum tu es, & in  
 beneplacito tuo exaltabitur cornu no-  
 strum.

*Psal. 88.  
 17. 18.*

## C A P V T XIV.

*De imitatione virtutum Deiparæ Pa-  
 trone.*

**V**eterem populum Isaias Vates ad  
 Abrahami Patriarchæ & Saræ eius  
 coniugis æmulationem iure prouoca-  
 bat , quòd ab ijs & stirpis & religionis  
 originem traheret: *Audite me qui sequimini* *Isa. 51. 1.*  
*ni quod iustum est, & queritis Dominum,*  
*attendite ad petram vnde excisi estis, & ad*  
*cauernam laci de qua præcisi estis; attendite*  
*ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram,*  
*quæ peperit vos. At quanto iustius qui*

Q 3 Chri-

Christiano nomine censemur, Deiparæ  
 que insuper clientes ac cultores pro-  
 pensiori quadam voluntate nos esse  
 profitemur, ad optimorum nostræ salu-  
 lutis parentum imitationem extimula-  
 bimur, à quibus gratiæ vitam hausimus,  
 per quos ad beatam æternitatem rege-  
 nerati, in Dei filios adoptati sumus, quos  
 cælestis vitæ duces, & diuinarum disci-  
 plinarum institutores nacti sumus. Ho-  
 rum nobis sunt & audienda præcepta,  
 & documenta tenenda, & virtutum exē-  
 pla præ oculis semper habenda, atque  
 omni studio consecretanda. Quod Apo-  
 stolus Corinthijs, id clementissima Ma-  
 ter Sodalibus suis inculcatum cupit: *Imi-  
 tatores mei estote, sicut & ego Christi*: totum  
 ipsa Christum tot annorum consuetudi-  
 ne domestica penitus hausit atque im-  
 bibit, moribusque suis expressit, eius hu-  
 militatem, mansuetudinem, patientiam,  
 clementiam, integritatem, innocentiam,  
 charitatem, ut corpore sit & animo quam  
 simillima proximaque filio mater. Gre-  
 gorius: In carne Christus apparuit, ut nō  
 solum nos per passionem redimeret, sed  
 etiam

2. Cor. 4. 19

x p. Pastor.  
c. 3.

etiam per conuersationem doceret; habeat nos vt redemptione seruos, sic conuersatione discipulos. Rectè item Ephiphanius, rectè Gregor. de Virgine matre: Mater est lucis quæ dixit, *Ego sum lux mundi*, quæ in mundum venit, quæ assumpta est, & illuminauit cuncta quæ sunt in cælis & terra, quæ lux candor est gloriæ, splendor lucis æternæ, oriens ex alto, illuminans his qui in tenebris & umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Sanè, vti notat S. Bonauentura, & ipso nomine suo præfert Maria, Illuminatrix est fidelium per exempla vitæ sanctissimæ, cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias; ipsa lucerna Ecclesiæ, ad hoc illuminata à Deo, vt per ipsam aduersus mundi tenebras illuminaretur Ecclesia. Oret igitur Ecclesia, oret anima fidelis, & dicat: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine Deus meus, illumina tenebras meas. Hæc aliaque S. Bonauentura. Quemadmodum lucem suam à sole luna mutuatur, estque ea lux nocti ma-

gis attemperata, ægrisque oculis facilius aspicitur, quàm meridianus ille fulgor solis, quem vix valentes oculi sustineant: ita Deiparæ virtutes tametsi à Christi Domini gratia ducant originem, & ex illo prototypo ductæ sint & adumbratæ; tamen, quamdiu versamur in huius sæculi nocte & caligine, quamdiu lippientes & ægros habemus oculos, ad captum quodammodo nostrum accommodatiores existunt, estque nobis proclivius & iucundius in Beata Matre Christum filium, quàm in ipsomet Christo Christum imitari, quasi diuinitatis eius adiunctæ fulgore repercussi cæcutiamus, & tantam claritatem sustinere nequeamus. Hanc in Deipara virtutum & exemplorum lucem celebrant Ruth

*Ruth 4. 18.* Moabitidis, de qua sacræ Litteræ: *Sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem;* Iudith eadem Scripturæ voce in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui de illa loqueretur verbum malum; Esther denique, parvus fons qui crevit in fluvium, & in lucē solemque conuersus est, & in aquas pluri-

mas

*Iudith 8.  
v. 8.*

*Esther 10.  
v. 6.*

*mas redundauit.* Nam quarum agetū virtutū exempla Deiparæ vita nō suppeditat? cui nam ætati, ordini, conditioni uē hominum non eximiè præluxit? A prima ætate Deo consecrata sanctimonialis, eadem & nupta, virgo, maritata, vidua, perfectissimum illud vitæ genus ex contemplatione & actione cōtemperatum muneribus omnibus executā; cui nec Maria defuit vnquam, nec Martha, sororis opem nihil requirens; cū in ea perficeret actionem contemplatio, & contemplationem acueret actio; hæc ex illa gigneretur, & ad hanc illa referretur. Notat S. Thomas, ceteros ferè Sanctos certa quædam opera virtutum exercuisse maiore studio, alios humilitate, alios castitate præcelluisse, alios misericordiæ laudem tulisse, alios patientiæ, alios alijs virtutibus claruisse, in quarum ferè singularum exempla virtutum proponuntur, vt castimonix Ioseph, Moses mansuetudinis, Iob patientiæ, misericordiæ S. Nicolaus, paupertatis D. Franciscus: at Beata Virgo in omnium virtutum data est exemplum, cū in ea clarissimè

Q5

om-

370 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
omnes emicuerint, humilitas, prudentia,  
castitas, aliæ decem, quas è Scriptura  
nuper demonstraui in recitatione Rosa-  
rij vsurpandas. Quo sensu, rite illud,  
quod de ea canit Ecclesia, intelligi po-  
test: *Et sicut dies verni circundabant eam flo-  
res rosarum, & lilia conuallium.* Vt hyemis  
asperitate præterita gratior emanat o-  
dor è rosis lilijsque, quæ, vt tum maxi-  
mè quoque delectant, & ad se pelliciunt  
oculos, rubricantes rosæ candidis inter-  
mixtæ lilijs; ita Deiparæ virtutum, quas  
hyems multæ mortificationis decoxe-  
rat, odores gratissimi fidelium animas  
exhilarare solent, & ad imitandum ac-  
cendere, vt diuino velut amore saucia  
sanctorum Angelorum opem implorēt.  
*Cant. 2. 5. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia a-  
more languo.* Felices animæ, quas Christi  
Domini & beatæ Matris castissimus hic  
amor languorque conficit! Felix qui di-  
cere potest aut filio, aut matri, aut vtri-  
que: *Odor tuus in me concupiscentias  
excitauit æternas!* Interim trahere me post  
te, curremus in odorem vnguentorum  
tuorum. Habent hæc exempla virtutū,  
&

& florum & odorum vnguentorumque vim, & oblectant & confortant animam languentem, atque ægram sanant. Nihil salutarius, & mea quidem sententia, nihil iucundius quàm habere cuius ad vitæ normam tuam componas, in cuius imitatione morum acquiescas, quem ducem sequaris, & velut domesticum institutorem, cui tuas actiones probari exoptes, ad eamque regulam quam tibi ille præscripserit dirigas. Nihil tristius damnosiusque quàm incertis & vagis semper esse moribus, nihil habere constitutum quod sequaris, nullum ad imitandum exemplar sibi proponere. Nos Deiparam totius vitæ nostræ præsidem, ducem, magistram, exemplar omnium virtutum absolutissimum delegimus, cuius ad sanctissimæ vitæ normam actiones omnes nostras, sacras profanasque ita dixerim, quæ ad naturæ pertinent officia, & quæ ad pietatis & religionis cultum referuntur, omni sedulitate exequeremur, quam in cibo, potu, somnoque capiendo moderatricem veluti cõtueremur, in omni sermo-

ne & congressu gestaremus in oculis, sed maximè in sacris actionibus imitari niteremur. Quemadmodum illa vacabat orationi, sacrum Missæ sacrificium audiebat, ad sacram adibat Eucharistiam, operibus misericordiæ incumberebat: sic nos longo licet post interuallo in eisdem pietatis exercitiis versari, pura illa lince-raq̃ue diuinæ gloriæ intentione contenderemus. Ad hoc illa studium nos pro-  
 uocat atque adhortatur: *Nunc ergo filij*  
*audite me. Beati qui custodiunt vias meas.*  
*Audite disciplinam, & estote sapientes, & no-*  
*lite abijcere eam. Venite, audite, & narrabo*  
*vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit*  
*anima mea.* Ad hanc clarissimam Cyno-  
 suram obuertenda nobis nauigij pro-  
 ra, si portum tenere volumus. Ipsa est enim  
 præclara & eximia stella super hoc mare  
 magnum & spatiosum subleuata, micans  
 meritis, illustras exemplis, & cetera quæ  
 profequitur Bernardus. Denique termi-  
 net hoc caput Hieronymi locus: Nos  
 meliorum exempla sectemur. Propono  
 tibi beatam Mariam, quæ tantæ puritatis  
 extitit, vt mater Domini esse mereretur.  
 Et

*Prov. 8. 32.*  
*& 33.*

*Psal. 65. 16*

*Ad Eusto-*  
*chium.*

Et ad finē epistolæ: Qualis erit illa dies, cum tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis? cum post rubrum mare, submerso cum suo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet responsuris: *Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare?*

Exod. 15. 3.

## CAPVT XV.

*De imitatione Theologicarum virtutum Deiparæ.*

**V**irtutum omnium principes sunt ea, quæ quòd circa Deum proximè versantur, Theologicæ nuncupantur; diuinitus infusæ, quarum usu præcipuè Dei cultus continetur, ex S. Augustini sententia; ea certè de causa usurpandæ plurimum, quòd Deum attingunt, & summum illud infinitum bonum, quantum fert huius vitæ mortalitas, fruendum nobis ac possidendum tradant. quarum virtutum matrem se Deipara profitetur apud Ecclesiasticum; vel quòd

In Enchirid.  
2. & 3.Lib. 1. de  
doctrina  
Christiana.

Q 7 illa-

illarum assidua consuetudine quasi filiarum iucundissimè frueretur, in earumque effectione propemodum continua versaretur, vel quòd per Salvatorem filium cultoribus illas suis ingeneret atq; adaugeat: *Ego mater pulchrae dilectionis, timoris & agnitionis, & sanctae spei.* Fides, quòd sit illustris, altissimæ cõtemplationis, illuminata diuinitus, in agnitione notatur. Timor & spes ad secũdam pertinent theologiam virtutem. Pulchra dilectio ipsa est charitas omnium regina: καλή, bona & pulchra, quòd teste Nazianzeno, solus amor Dei formosum reddit amantem. Amor carnis putidæ putidum reddit, iuxta illud Osee: *Facti sunt abominabiles; sicut ea quae dilexerunt.* Fides & spes cùm in Christo comprehensore æquè ac viatore locum non habuerint, nusquã illustriores fuere quàm in Deipara, nec dignius alibi quàm in eius anima sanctissima fixere domiciliũ. charitas à Christi charitate gradu proxima, illi quàm simillima fuit in Virgine matre, ex qua & timor ille castus filiorum exoritur, qui permanet in sæculum

*Eccl. 24.*

24.

*In carm in  
ad Virgines.*

c. 9. v. 10.

se-

sæculi. Deiparæ fidem iure prædicat  
 Elizabeth eius propinqua: *Beata qua* <sup>Luc. 1. 45.</sup>  
*credidisti, quia perficientur ea quæ dicta*  
*sunt tibi à Domino.* Nam hac fide ad æter-  
 ni Verbi conceptum viam sibi præmu-  
 niuit, priusque illud fide & mente quàm  
 ventre ac carne concepit. beatior (in-  
 quit Augustinus) Maria percipiendo  
 fidem Christi, quàm concipiendo carnẽ  
 Christi. Quod Eua virgo ligauit per in-  
 credulitatem, hoc Maria virgo soluit  
 per fidem. Quo celsius est supra creatæ  
 cogitationis suspicionem omnem ac li-  
 mitem, quod est cæterorum caput atque  
 principium Verbi incarnati mysterium,  
 eo magis Virginis admiranda est & de-  
 prædicanda fides, Archangelo mysterij  
 eius nuntium à Deo perferenti mox ad-  
 hibita, ad cuius laudem Abrahami Pa-  
 triarchæ celebratissima fides non acce-  
 dat, quo longè maius est, & si vim natu-  
 ræ spectes, incredibilius Virginem Deũ  
 hominem concipere ac parere, quàm  
 hominem immolatum Deo ab eodem  
 ad vitam mortalem exsuscitari potuisse.  
 Hæc eadem fides in Virgine matre cete-  
 ra

ra omnia redemptionis nostræ mysteria complexa, filij deitatem, humanitatis obrectam velo semper agnouit, altissimamque illam in eius animo contemplationem peperit, quam S. Lucas insinuat, iteratò repetens: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo, cum in filio infante, puero, adolescente, viro Deum suum supplex adoraret. nec in ipsa passione tot inter indignissima supplicia fuit hæc fides non dicam extincta (quod nec ceteris contigit Apostolis) sed nec obscurata, nec summo illo mœrore perturbata, quo minùs clarè distincteque consecuturam triduo post resurrectionem Saluatoris obijceret. Quò pertinet illud Prouerbiorum*

*31. Non extinguetur in nocte lucerna eius; & quòd in Officio nocturno maioris hebdomadæ ceteris extinctis, vna superest ardens cādela, symbolum expressum fidei relucens in Deipara, cum in ceteris foret Apostolis obscurata. Deiparæ spes cum in plurimis alijs mysterijs, tum in eo mihi singulariter eluxisse videtur, quòd, cum ab ædibus Elisabethæ reuerfa à spò-*

so

Luc. 2. 19.

Prou. 31. 18

so Ioseph vterum ferens esset deprehē-  
 sa, eaque de causa Iosephum grauissimis  
 animi motibus agitari ac perturbari ani-  
 maduerteret; diuinæ tamen prouiden-  
 tiæ confisa tacuit, neque verbo myste-  
 rium aperire voluit quod erat cum sua  
 laude ac dignitate coniunctum, quoad  
 de cælo missus Angelus id reuelaret.  
 Nempe in vno Deo spem omnem suam  
 collocauerat, cui mysterij quod erat ab  
 eo clementer inchoatum, progressum  
 successumque committebat, ipsa suæ  
 humilitatis ac taciturnitatis retinentis-  
 sima. Iam verò spes de futura sempiter-  
 na felicitate inde fuit in Virgine Dei  
 matre singularis & eximia, quòd non,  
 perinde vt in nobis, annexam haberet  
 incertitudinem & admixtum timorem,  
 quo nos non sine causa frequenter & fa-  
 lutariter commouemur. Nam tametsi  
 de diuina bonitate ac misericordia, qua  
 vult omnes homines saluos fieri, nihil  
 sit ambigendum; de nobis tamen ipsis  
 meritò dubij sumus & ancipites, *con-*  
*templantes ne quis desit gratiæ Dei, quibus*  
*cum metu & tremore salus sit operanda, cum*  
*nesciat*

*Eccl. 9.1.* nesciat homo vtrum amore an odio dignus existat, & de perseuerantia maxima nos semper sollicitudo tenere debeat. At Sanctissima Dei Mater certissimò norat, se in Dei gratia confirmatam, nec ab ea vnquam excidere posse, ac tum filij Saluatoris mèritis exuberantissimis, quæ sibi largissimè communicata sciebat, tum suis quoq; rectè factis nitebatur: quibus è fontibus iustissimã bene sperãdi causam præbet Mater sanctæ spei, spes nostra, per quam minimè nobis defutura sit gratia ad capessendã felicitatẽ oportuna, quæ de se verissimè dicat, *Eccl. 24. v. 25.* *In me est omnis spes vitæ, & virtutis.* Tertia præcipuaque virtus è theologicis, charitas Dei matris tum erga Deum, tum erga proximum ardentissima, multis sanctæ Scripturæ typis adumbrata est: in auro mundissimò quo fœderis arca intus & foris erat aperta; in auro fuluo nimis throni Salomonis eburnei; in cocco bistincto cortinarum tabernaculi, vestiumque sacerdotalium; in candelabro aureo, quod septem lucernis ardentibus donorum Spiritus sancti figuris erat instructum, in quo

quo & ignis & aurum charitatem denotabat. quam sol quoque signat, dum dicitur: *Mulier amicta sole*, candidissimo & calidissimo charitatis amictu, vt S. Bernardus interpretatur, vestitu planè deaurato; denique & in altaris igne perpetuo, quem iugibus fomentis sacerdotes summa cura conseruabant, ardor hic charitatis Deiparæ indicabatur, quo mens eius in Deum continuo motu atque impetu ferebatur. Hoc illud est vexillū charitatis, de quo in Canticis iuxta aliam versionem: *Ordinauit in me charitatem*; vexillum in me charitatis erexit, sub cuius signis anima illa sanctissima perpetuò ageret in excubiis, continuis votis ac suspiriis ad Deum suum anhelans, incensissimo Dei gloriæ propagandæ zelo, proximorum que salutis procurandæ flagrans. quorum proximorum Christo filio lucrificandorum, nullam vniquam prætermisit occasionem, suscepta etiam cum Ioanne in Græciam Ephesum vsque peregrinatione, datis ad complures epistolis (è quibus ad Florentinos vna hodieque superesse dicitur)

plu-

ApoC. 12. 1.

Cant. 2. 4.

380 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
plurimis ac continuis optimæ Matris of-  
ficiis in primitiuos fideles eius curæ con-  
creditos. Iugiter quidē inhærebat Deo,  
& non interrupto diuini amoris actu  
magnificabat eius anima Dominum, &  
exultabat spiritus eius in Deo salutari  
suo; hinc tamen omnes fideles, proxi-  
mosque, quos filio Deo tam charos esse  
sciret, tam charo emptos diuini sui cruo-  
ris pretio, maternæ charitatis complexa  
visceribus, omni cura, affectu atque offi-  
cio, industria & diligentia promouebat  
ad virtutem. Hæ virtutes igitur Patronæ  
nostræ præcipuo quodam studio nobis  
sunt imitandæ, cum & in earum virtutū  
exercitatione tota hominis Christiani  
vita consistat, Apostolo teste, ex Abacuc  
Propheta: *Iustus autem meus ex fide viuit;*  
fides illi est pro intellectu, res omnes  
perspiciente ac dirigente; pro cupiditate  
spes; pro arbitrij libertate charitas, cuius  
motum atque impulsum ceteræ omnes  
consequantur virtutum actiones, immò  
& quæ ad vitam tuendam pertinent na-  
turæ functiones. In consiliis capiendis,  
in rebus omnibus agendis, non infama  
ac

Hebr. 10.  
38.

ac fallaci sensuum, humanę rationis, sed suprema semper certissima-  
 que fidei diuinę luce nitamur, hęc ducę  
 sequamur, hęc facem nobis præferamus,  
 nec obscurari, languere, ac propę inter-  
 mori sinamus vnquã, sed quoad cum Dei  
 licebit gratia creberrimos eius actus  
 excitemus, tum præsentissimi semper  
 diuini Numinis nos intuentis, vniuer-  
 sumque hoc omne sua prouidentia mo-  
 derantis, tum Christi Domini in sacra  
 Eucharistia delitescantis. Atque vt fuit  
 Deiparę sacra humanitas deitatis quod-  
 dam velum, quo nihil tamen inhibeba-  
 tur, quo minuseam semper agnosceret  
 atque adoraret; ita nobis humanitatis  
 deitatisque velum existant sacratę spe-  
 cies, sed quod oculi fidei penetrent at-  
 que peruadant. Tum verò & fidem ex-  
 citemus futurę alterius æternę vitę,  
 ad quam eiusdem Deiparę ope potissi-  
 mùm aspiremus, in quam spes omnes  
 nostras collocemus: sit ipsa anchora fir-  
 ma & tuta nostrę mentis, ne varijs huius  
 mundi procellis ac tempestatibus, va-  
 rijs euentibus, seu aduersis, seu prospe-  
 ris

nis à virtutis officio deducamur. Ad ex-  
 tremum quod monet Apostolus, *Omnia*  
*nostra in charitate fiant*, huic omnium  
 virtutum principi cetera committamus  
 virtutum officia, siue quæ ad Deum co-  
 lendum, siue quæ ad proximum iuvan-  
 dum, siue quæ ad nos ipsos moderandos  
 pertinent; ex charitatis imperio suscipi-  
 antur, eius ductu & auspicijs peragan-  
 tur, eius optimo fine concludantur, qua  
 valet apud Deum charitate, gratia &  
 auctoritate veluti commendentur om-  
 nia nostra rectè facta atque opera, eius  
 induant formam & characterem, meri-  
 tiq̃ue laudem ac dignitatem ab ea mu-  
 tuentur. Hoc illud est Ecclesiastici mo-  
 nitorum omnium præstantissimum mo-  
 nitum: *Omni vita tua dilige Deum, & inuo-  
 ca illum in salute tua.*

1. Cor. 16.  
 24.

Eccli. 13.  
 8.

## CAPVT XVI.

*De exercitatione virtutum moralium  
infusarum.*

**S**apientia diuina sobrietatem ( quæ ea- <sup>Sap. 8. 7.</sup>  
dem est temperantia ) & prudentiam  
docet, & iustitiam, & virtutem, id est forti-  
tudinem, quibus vtilius nihil est in vita ho-  
minibus. Docet has virtutes, quæ sunt cæ-  
terarum cardines & fontes, Sapientia,  
primùm infusis illarum habitibus, tum  
suppeditis gratiæ adiuuantis & exci-  
tantis opportunis prædijs. docet eas-  
dem & Sapientiæ mater incarnatæ San-  
ctissima Virgo præclarissimæ vitæ suæ  
innocentissimæ, quæ fuit omnis norma  
virtutis, ad vsum nostrum accommoda-  
tissimis exemplis. quæ antequam in me-  
dium proferantur, aperiendum est pau-  
cis, quid inter has virtutes infusas & ac-  
quisitas eadē potissimùm interlit. Ne-  
mo nescit ex Philosopho, satis non esse si <sup>2. Ethic. 4.</sup>  
virtutum actiones obeantur, nisi ex ipsa  
virtutum honestate, quique illis inest  
na-

384 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
naturæ rectissimo fine suscipiantur. Pa-  
rum est, si quispiam quod iustum est a-  
gat, nisi & iustè agat ex fine, amore &  
impulsu iustitiæ. quemadmodum quæ  
feruntur ex arte, ex eius præscripto &  
certa lege fiunt, non casu ac temerè: ita  
quæ ex virtute, ex eius affectu & fine fie-  
ri necesse est. Illud autem interest inter  
has virtutes studio acquisitas, & diuini-  
tus infusas, quòd acquisitæ spectent eam  
virtutis honestatem, quæ conuenit ho-  
mini quâ homo est, quâ ratione utitur,  
quæque vitæ præsentis ordinem ac limi-  
tes non transcendit: at infusæ conue-  
niunt homini quâ Christianus est, quâ  
Dei filius & amicus, æternæ capax glo-  
riæ & felicitatis, ad quam diuinæ gratiæ  
beneficio euectus est. Quemadmodum  
Aristoteles diuersas ait esse virtutes ci-  
uium, quæ ad diuersas politias referun-  
tur; ita diuersæ sunt virtutes infusæ ab  
acquisitis, quòd hominem spectent in  
duplici quadam politia & republica.  
Præter eam quæ inter se communi quo-  
dam naturæ vinculo ac præsentis vitæ  
societate cohærent, alia sublimior est ac  
di-

3. Politic. 3.

diuina, qua ad sempiternam alteram ad-  
 spirant beatam vitam, qua in diuinam  
 adsciti sunt amicitia, domestici & ciues  
 Dei, ciues Sanctorum. Qua ratione hone-  
 stas virtutis sublimior est atq; diuini-  
 or, superioris ordinis, qui naturæ terminos  
 supergreditur. Acquisitæ hominē infor-  
 mant ad bene viuendū ex rectæ rationis  
 humanæ præscripto: infusæ ex eiusdem  
 quidē rationis præscripto, verum vt illa  
 est supernaturalis fidei luce collustrata,  
 hominemq; ad superiorē quendam finē  
 æternæ gloriæ refert. Sic igitur prudentia  
 ex humana euadet Christiana ac diuina,  
 dum altiorē finem propositum habet, ad  
 quē sua dirigit cōsilia, mediaq; virtutum  
 vniuersa. Id igitur optādum est, atq; ela-  
 borandum in harum virtutum vsum po-  
 tissimum incumbamus, qua sunt infusæ,  
 qua Christianis, qua Dei filijs & amicis  
 conueniunt, ad sempiternæ gloriæ feli-  
 citatem destinatis, & quod eōdem reci-  
 dit, qua Deiparæ cultoribus atque So-  
 dalibus, qua ad Beatæ Matris imitatio-  
 nem, gratissimumque illi cultum earum  
 exercitatione virtutum propiūs accedi-  
 mus.

R

mus.

mus, qua ratione, & quo fine dum vitam hanc ageret, ab ea sunt exercitæ ac frequentatæ. Prudentiæ suæ Sacratissima Virgo non obscura dedit argumenta; nam ad primam Archangeli salutationem turbata silentium tenuit, & attentius cogitare cœpit qualis esset ista salutatio, quis modus diuini conceptus esset futurus, saluo suo pudore quem Deo iam nuncupato voto consecrarat. In omni deinde moderatione & circumspectione sermonis, cuius fuit parcissima. Nam

*qui moderatur labia sua, prudentissimus est.*

Tum in requirendo puero duodenni suauissimeque interpellando: *Fili quid fecisti nobis sic?* Iterum in nuptijs propinquorum in Cana Galilææ, cum eorum necessitati veller esse succursum: & sæpè aliàs cum filium affectaretur prædicantem. Cum summa modestia summa quoque prudentiæ Virginis laus elucescit. Iustitiæ duæ sunt partes duoque munerera, declinare à malo, & facere bonum: de quibus & Apostolus, *Odientes malum, adherentes bono*, cuique quod suam est reddere, nemini nocere, omnibus prodesse.

*Prov. 10.*

*v. 19.*

*Rom. 12. 9.*

desse. quæ iustitiæ munia perfectissimè  
 expleuit intemerata Virgo, quæ iure Spe-  
 culum iustitiæ nuncupatur, omnis om-  
 nino expers peccati, & quod origine  
 contrahitur (ex quo omnis nata est iniu-  
 stitia) & quod actione suscipitur, quæ  
 nullum vnquam virtutis intermisit offi-  
 cium, quo sibi demereri proximum pos-  
 set. De virtutibus annexis iustitiæ seu  
 partibus, quas vocant potentialibus, re-  
 ligione, pietate, obseruantia, alijs, quin  
 omnes eminentes fuerint in Virgine,  
 non potest ambigi, & ne iusto quidem  
 volumine nos exequamur. Fortitudinē  
 eius celebrat Salomō: *Mulierem fortē quis*  
*inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium*  
*eius. Fortitudo & decor indumentum eius.*  
 Duplex quoque laus est fortitudinis, in  
 laborum dolorumue perpeffione, & cō-  
 siderata periculorum susceptione; in ad-  
 uersis tolerandis, & arduis aggredien-  
 dis. quæ neutra Deiparæ defuit per om-  
 nem vitam, cum Saluatore hominum fi-  
 lio in vtraque fortuna exercita, quando  
 & Filij Dei mater fieri non detrectauit,  
 illi comes in opere redemptionis nostræ

*Prou. 31.  
 v. 10.*

futura, post exactum laboriosissimæ vitæ  
 cursum; ad extremum quoque morien-  
 ti ad crucis eius pedem animo inuicto  
 stetit, supremum exceptura spiritum,  
 inibi que Martyrum princeps ac regina,  
 cordis atrocissimū perpeffa martyrū.  
 De temperantia quid attinet dicere? cū  
 auctore S. Thoma virtus ea tanto sit per-  
 fectior, quanto minū contrarijs concu-  
 piscentijs infestatur: quibus quidem cō-  
 cupiscentiis obluetur ac resistit conti-  
 nentia, non tam virtus, quā virtuti sub-  
 feruiens & inferior habitus, qui proinde  
 nec in Christo, nec in sanctissima eius  
 matre locum habuit. At temperantia eo  
 magis in vtroque excelluit, quo fuit v-  
 terque liber à prauis concupiscentijs; &  
 naturā quidem suā Christus ex vi diuinæ  
 hypostaseos, Beata Mater eius singulari  
 dono & priuilegio, quo caruit omni cō-  
 cupiscentiæ fomite, vt indicat Leo: Im-  
 maculata virginitas concupiscentiā ne-  
 sciuit. In ceteris Sanctis magna laus est  
 quòd expugnari nequuerunt, in Beata  
 Matre quòd ne quidem impugnari. De  
 hac terra, ex qua veritas, iustitia & pax  
 nostra

*Richardus  
 doctor. de  
 C. mansue-  
 tel. 2. c. 29.*

nostra exorta est, meritò sublata sunt  
 bella omnia, & bellorum incētiua. Beata  
 Maria (inquit Chrysoſtomus) vltra om-  
 nem humanæ naturæ modum modestiã  
 actemperantiam excoluit, & ob id vni-  
 uerſorum Dominum in vtero geſtare  
 meruit. quod ego ratione potiffimùm  
 demiffionis animi & humilitatis intelle-  
 xerim, quæ tēperantiæ est virtus annexa,  
 & ſuo ſeorſum capite est proponenda.  
 Modestia, cuius meminit Chryſoſto-  
 mus, cū in corporis externo cultu &  
 veſtitu, quo ſimplice Diua Mater vteba-  
 tur natiui coloris, tū in eo decoro quod  
 in omni geſtu & ſermone ſeruiatur, elu-  
 cet, præcipuo quodam ſtudio adoleſcē-  
 tibus imitanda; quorum, vti gemma præ-  
 tioſiſſima, mirificè exornat & commen-  
 dat ætatem. Auctor est B. Ignatius, vt in  
 quinque corporis ſenſibus componen-  
 dis, aut Chriſtum Dominum, aut Beatã  
 Matrem veluti normam & exemplar ſibi  
 quiſque proponat, à quibus & opem di-  
 uinæ gratiæ flagitet, & ab eiſdem ſumat  
 & præſidium & exemplum. Ceteræ quo-  
 que virtutes aſſiduis votis poſtulandæ,

*Homil. n.  
hypapanc.*

390 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
& rectè factis imitandæ. Prudentia non  
illa terrestris & humana, sed cælestis &  
diuina flagitanda est, quæ ex certissima fi-  
dei regula & beatæ vitæ alterius trutina  
res agendas omnes discutiat, expendat-  
que, & ad extremum illum finem referat.  
Iustitia, quæ suum cuique reddat, æquita-  
tis inter homines obseruantissima, nõ tã  
qua communis huius vitæ societate iun-  
guntur, quàm qua Christianæ reipubli-  
cæ ciues ad beatam illam adspirant æter-  
nitatem. Fortitudo denique & in arduis  
agendis, & in acerbis perferendis, ad il-  
lum supremum beatæ vitæ finem, ad re-  
ligionis orthodoxæ defensionem ac pro-  
pagationem, ad Deiparæ cultum, filijque  
eius Saluatoris honorẽ amplificandum.  
Temperantia postremò in moderatione  
passionum & delectationum, gustus ac ta-  
ctus potissimum occupata, non tam vitæ  
presens & valetudinis vsum quàm spirita-  
lis profectus comoda spectet; & vt de ie-  
iunio canit Ecclesia, ita & reliqua omni  
mediocritate temperantiæ mens nobis in  
Deum eleuetur, vitia comprimantur, vir-  
tutes & gratiæ diuinæ dona cõparentur.

CA-

## CAPVT XVII.

*De eximia laude castitatis & virginitatis.*

**Q**uod dicebat Plato de sapientia, id ego verè dixerim de castitate, Si oculis cerni posset, quàm ardentes sui excitaret amores! de qua diuinus exclamat Sapiens: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim eius memoria, quæ & apud Deum nota est, & apud homines.* & aliàs: *Omnis ponderatio non est digna continentis anima.* Cælestis planè ac diuina virtus, quæ ex hominibus Angelos creet, Angelis pare efficiat homines aut superiores. Nam si Angelorum felicior est castitas, hominum est fortior & generosior, quo periculosius illis molestiusque certamen cum hoste domestico carne sua quotidie est decertandum: quo hæc pugna quotidiana difficilior, eo nobilior illustriorque victoria est. De castitate præclarè admodum Ambrosius, *Quis humano eam possit ingenio*

Sap 4. 1.

Eccl. 26.  
v. 20.Lib. 1. de  
Virginit

nio comprehendere, quam nec natura  
 suis inclusit legibus? aut quis naturali vo-  
 ce complecti quod supra usum natura  
 sit? E cælo accersuit quod imitaretur in  
 terris, nec immeritò viuendi sibi usum  
 quæsiuit è cælo, quæ sponsum sibi inue-  
 nit in cælo. Hæc nubes, aëra, Angelos, si-  
 deraque transgrediens, Verbum Dei in  
 ipso sinu Patris inuenit, & toto hausit  
 pectore. Nam quis tantum cum inuen-  
 rit relinquat boni? Ergo & Sacratissimæ  
 Virgini ad æterni Verbi cōceptum viam  
 præmuniuit aditumque patefecit inte-  
 merata castitas, & eadem Deo nostro  
 sponso amantissimo animas nostras ad-  
 iungit atque copulat, cui & incorrupti-  
 one proximas simillimasque efficit. Nam  
 Sap 6. 20. *incorruptio proximum facit esse Deo. Ut lu-*  
*xuries, & corporis illa fœda voluptas*  
*quæ cum pecudibus est communis, ho-*  
*minem velut ex hominis statu ac digni-*  
*tate ad earum pecudū deiecit vilitatem:*  
*ita quæ nos ab omni corporis attactu se-*  
*iungit castitas virginitasque, ad Angelo-*  
*rum transfert dignitatem & statum, in-*  
*corruptibili que Deo similes ac propin-*  
 quos

quos efficit. Quod futuri sumus, vos iam esse cœpistis, virgines alloquitur Cyprianus, vos resurrectionis gloriam in hoc sæculo iam tenetis, per sæculum sine sæculi cogitatione transitis; cùm castæ perseveratis & viigines, Angelis Dei estis æquales: nam *in resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei,* inquit Dominus; nulla nuptiarum opus propagatione, vbi viget immortalitas æuique sempiterni perpetuitas. Hic vbi intercidunt & continuo fluxu dilabuntur homines, alij aliis coniugio suffiendi fuerunt: sed quibus animæ potior cura, vt eis rectè sit per omnem æternitatem, potiùs quàm de posteritate qua nõ eget anima, prudenter elaborant, qua sunt Angelis similes instituendam magis vitã, quàm qua brutis pecudibusque existimant. Habèt suæ dignitatis rationem, & tot nominibus anteponendam coniugio castitatẽ colunt. Hinc Cypriano virgines dicuntur flos Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, tota indoles laudis & honoris, Dei imago resplendens ad sanctitatem Domini,

R 5

mini,

*Lib. 2. d.  
disciplin.  
& habitu  
virgin.*

*Matth. 22.  
v. 30.*

394 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
 mini, illustrior portio gregis Christiani.  
 Sed infinitum sit laudes castitatis ac vir-  
 ginitatis persequi, in quas se Græci Lati-  
 niq; Patres totis ingenij, doctrinæ ac pie-  
 tatis viribus effundunt. Quod nunc agi-  
 mus, Ambrosij hîc quoque selectis utar  
 verbis: Egregia Maria, quæ signum sa-  
 cræ virginitatis extulit, & intemeratæ  
 virginitatis pium Christo vexillû leua-  
 uit, cùm omnium prima mortalium di-  
 uino Numini sui pudoris integritatem  
 edito voto consecrauit, proptereaque  
 Archangelo diuinum illi prænuntianti  
 conceptum haud dissimulanter respon-  
 dit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non  
 cognosco?* quod profectò non diceret (in-  
 quit S. Augustinus) nisi priùs Deo virgi-  
 nem se vouisset. Quæ ratiocinatione uti-  
 tur quoque Nyssenus, Anselmus, Ber-  
 nardus, & probatissimi quique scripto-  
 res huius æui, qui Sacratissimam Virgi-  
 nem, vel cùm à parentibus in templum  
 trimula est adducta, & Deo oblata, ini-  
 biq; inter sacras virgines educata san-  
 ctissimè; vel ab ipso primitus conceptu  
 cùm accelerato rationis vsu sanctificata,  
 &

*Luc. 1. 34.  
 Nyssen. de  
 Natiuitate  
 Christi.  
 S. Anselm.  
 de Excellen-  
 tiis Virg. c. 4.  
 Bernard.  
 homil. 4.  
 super Mis-  
 sus.  
 Suarez. 3 p.  
 disp. 4.  
 sect. 7.  
 Barradas  
 l. 6. c. 3.*

& ab originaria labe est præseruata, votum illud solemne virginittatis ad aliquã grati animi aduersus Deum significatiõnem nuncupasse credunt, & per omnem deinceps vitã, summo semper eius tuendã desiderio flagrasse. Quod hoc ipsum eius responsum significat, quando oblatam matris Filij Dei dignitatem, nisi salua integritate minimè receptura esse videretur. Verè gratia plena, cui diuino munere collatum est (inquit Beda) vt prima inter feminas, gloriosissimũ Deo virginittatis munus offerret. Et sanè cum id votum ad statum perfectionis pertineat, Euangelicæ legi ac gratiæ fuerat reseruandum, & tum à Christo eius auctore, tum à sanctissima eius parente, quæ proximè antecedebat, honoris eius causa, initium atque originem ducere debuerat: Deum enim decebat ea natiuitas, qua non nisi de virgine sibi consecrata nasceretur; & talis Deo dicatæ virginittati partus congruebat, vt non nisi Deum pareret, integritate nihil immiuta, sed aucta. Mariæ exemplo cæteræ ad integritatis studium prouocantur, ait

R 6 idem

*S. Thom. 3.**p. 9. 28. a. 4.**ad 2.**Bernard.**homil. 2.**super Mis-**sus.*

*De institut.  
virg. c. 5.  
& 6.*

idem Ambrosius, tum toto orbe diffusus corporibus humanis vitæ cælestis usus inoleuit. Hæc est illa cælestis militia, quam laudantium exercitus Angelorum promittebat in terris. Fuerunt quidem & in veteri lege continentes aliqui, qui virginitatis Euangelicæ præferrent umbram, sed pauci planè, & viri magis quàm feminae, vti notat Hieronymus. quamquam neque viros voto se castitatis illigasse legimus: ceterùm maledictum sterilis, & in doloribus iugiter Eua parturiebat. Postquam verò Virgo concepit in utero, & peperit nobis puerum, cuius principatus est super humeros eius, Deum fortem, patrem futuri sæculi; soluta maledictio est, mors per Euam, vita per Mariam, ideoque & ditius virginitatis donum fluxit in feminas, quia cœpit à femina. statim vt Dei Filius ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælis, haberet angelos & in terris, sanctam nempe matrem & sponsam eius Iosephum; quem rectè Hieronymus virginem per Mariam colligit, & ab ea doctum,

*Epist. 22.  
Aduers.  
Heluidium.*

etum,

ctum, eiusque exemplo virginitatē quoque professum, tum vtriusque sexus innumeras myriades futuris quoque sæculis in Ecclesia propagandas. Habent nuptæ titulos suos, mihi virginitas in Maria dedicatur & Christo. Christus virgo, Maria virgo, vtriusque sexus virginitatem dedicauere. Hi virginum principes & duces. Quis (inquit Epiphanius) vniquam aut quo sæculo ausus est proferre nomen S. Mariæ, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem? quæ nempe princeps est virginitatis, & in cuius nomine etiam nūc virgines degere contendunt, & castitatem seruare. Et profectò nō leue in eo sacro nomine continentia ac castitatis situm est præsidium. Inde Damasceno, virginitatis thesaurus & feracissima planta dicitur: Perte (inquit) virginitatis pulchritudo latissimè se diffundit. Denique Bernardus, qui virginum reginam & primiceriam appellat. Offerentur (inquit) seu adducentur regi virgines posteam; nam primatum sola vindicat sibi, dominam ac reginam honorariæ pedisse quæ, magistram disci-

*Hæresi 78.**Orat. 1. de  
Natiuit.  
Virg.**Epist. 174.  
Ser. Signū  
magnum.*

pulæ, matrem optimam filiaæ sectabuntur. neque erit in sexu, quo caret anima, discrimen. Præter illa quadraginta quatuormillia, de quibus D. Ioannes in Apocalypsi, quæ ad extremũ mundi tempus pertinent, erunt & alij innumeri, qui cum mulieribus minimè coinquinati, & virgines in virginalem beatæ Matris familiam transcripti fulgebunt; vt vterque Diuus Ioannes, Baptista, & Euangelista: ille, cui adhuc in vtero materno Diua Mater cõtulit integritatis insigne, quem trimestri sacræ suæ præsentiaæ athletam egregium vnxit oleo; hic, cui virgini Virgo Mater à filio Salvatore de cruce commendata. Iacobus Minor frater Domini ex vtero quoque sanctificatus, qui castitatem docet, cùm ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum descēdit à Patre luminum.* Paulus, qui vult omnes homines esse sicut seipsum, vt spectet ad ordinem spadonum, ait Tertullianus. S. Lucas, cùm ad octuagesimũ quartum ætatis annum vxorem non habens attigerit, Deiparæ familiari vsus consuetudine, ex cuius ore diuinę incarnationis

*Epiſt. hæ-  
ref. 29. &  
30.*

*Iac. 1, 17.*

*Hier. ep. 22.*

*Lib. de Mo-  
nogamia  
c. 3.*

*Hieron de  
viris illust.*

nationis ortum, atque infantia Saluatoris mysteria didicit, sacroque Euangelio consignauit, ipsiusque Deiparae ad viuum effigiem Filium Deum gremio fouentis suo expressit penicillo. quae sunt ad tuendam castitatem singularia munimenta. Ne longum faciam, de hac quoque Virginis familia censebuntur quam plurimi Sodales Parthenij, qui eius patrociniopotissimum & praesidio, tot interd discrimina conseruarunt illibatam castitatem, qui semper ea duce, magistra, mediatrice gratiae ac singulari protectrice fuerint vsi; à qua & praestans hoc donum multis precibus, votis, suspirijs, lacrymis impetrarint, eiusque nominis obiectu, Mariae & Iesu inuocatione, uti scuto firmissimo, ignea tela omnia hostis nequissimi propulsarint, & de eo gloriosam aliquando victoriam reportarint. O quantis illa virginibus occurret! quantas ad Deum complexa trahet! haec thorum filij mei, haec thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore: quorum utinam è numero & felicissima sorte censeamur!

*Ambr. l. 2.  
de Virginib.*

CA-

## CAPVT XVIII.

*De altero sexu vitando & honorando.*

**V**T illustris est maximè, decora & eximia virtus castitas, ita est admodum tenera, delicata, fragilis, quæ facillè violetur, summa cura ac vigilantia conseruanda. *Habemus, (inquit Apostolus) thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* In carne velut extra carnem viuere angelicum est & diuinum. Operosum igitur, & minimè cuiq; obuium, nisi & magna vis adsit diuinæ gratiæ, qua natura corrupta comprimatur, & ad eam magna quoque nostra accedat circumspectio, assidua vigilantia & prouidentia, qua pericula omnia submoueantur. Habet & pudicitia seruata martyrium suum. Quamquã hoc genus pugnæ fuga magis nititur quã pugna: hîc pugnare fortiter, celeriter est fugere, & à blandientibus obiectis oculos animumque auocare; mox sese ab hoc

*2. Cor. 4. 7.*

*Hieron. in  
uita Mal-  
chi.*

hoc hoste eripere, vincere est. Vis illa mollis ac blanda repudianda est, penitus auersando, potius quam adhibita contentione contranitando repellenda. Fugite, monet idem Apostolus, fornicationem, & alterum sexum qui ad illam allicit & prouocat. Nūquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant; aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit immunis cum tetigerit eam. Qui amat periculum, peribit in illo. Plenæ sunt sacræ Litteræ istiusmodi monitorum, plenæ exemplorum historiarum, pleni sanctorum Patrum Ecclesiæ Doctorum libri de altero sexu præcauendo, præsertim adolescentibus ac iuuenibus, quorum ætas in lubrico maximè posita est, & oleum ad caminum adijci, aut igni paleam ad moueri omnium ætatum minimè requirit. Vt gloriosior est in virili sexu, sic & seruatu difficilior castitas, siue ob temperiem corporis feruidiorem, ex qua & acriores stimuli crebrioresque naturæ deprauatæ motus impetusque consurgunt;

Prov. 6.  
v. 27. 28.

Eccl. 3. 27.

gunt; siue quòd se plures viris offerunt  
 occasiones lapsus, cùm sine arbitris li-  
 berè vagentur, neque tam arcta, vt pu-  
 ellæ, parentum custodia muniantur; siue  
 quòd illo careant ingenito pudore ve-  
 recundiaque, quod vnũ est præcipuum  
 sexus alterius potentissimumque fræ-  
 num, quo velut obice remoto, prosti-  
 tuuntur illæ miserrimè; siue denique,  
 quod eòdem pertinet, quòd homi-  
 num opinione atque errore, minor in-  
 de viris inuritur nota atque infamia;  
 quamquam par apud Deum & Angelos  
 culpa contrahatur, & verò magis etiam  
 in viris detestanda sit ea turpitudine. Ad-  
 hæc, vt obseruat S. Basilius, sic à  
 Deo mulier effecta est, vt masculo tota  
 foret illecebra voluptatis, violentisque  
 stimulis eum ad se raperet, non secus at-  
 que magnes ferrum vi quadam occul-  
 tissima, vultu ipso ac toto corpore ita  
 blando, ita molli ac tenero, vt & tactu &  
 aspectu & motu, teneritudine & dele-  
 tabili motione membrorum, virum  
 ad se pelliceret, & inspiciens & inspe-  
 cta sese illius sensibus ingereret. quo  
 fit

*De vera  
 virginit.*

fit vti celerrimè venenatum aliquod  
reluminijciat, animamque sauciet pe-  
stifera cupiditate. Qua de re verissimè  
Poëta:

*Vritq; videndo femina.*

Et prudentissimè Iob aiebat: *Pepigi scæ-*  
*dus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem*  
*de virgine: quam enim partem haberet in me*  
*Deus desuper, & hereditatem Omnipotens de*  
*excelsis? Quod cuique Parthenio Sodali*  
*summa cura peragendum est, ne à Bea-*  
*tæ Matris excidat beneuolentia, & serò*  
*lamenteur, Oculus meus depre-datus est ani-*  
*mam meam, in cunctis filiabus vr-bis meæ.* Ne  
quod est apud D. Perrum eueniat: *Ocu-*  
*los habentes plenos adulterij & incessabilis de-*  
*licti.* numquam enim ea cupiditas exple-  
tur, immensa est & infinita. Cui non suf-  
ficit vna mulier, nulla sufficit. Quod  
si ne quidem aspiciendæ sunt, multò  
minùs ad familiarem adhibendæ ser-  
monem, nec sine iusta necessariaque  
causa visendæ aut alloquendæ, num-  
quam omnino sine teste atque arbitro  
conueniendæ. Pertinet ad omnes Hie-  
ronymi monitum illud ad Nepotianum:

*Iob 31. 1. 2.*

*Thren. 3. 51.*

*2. Pet. 2. 14*

Ne

Ne sub eodem tecto mansites , nec in  
 præterita castitate confidas. Nec sanctior  
 Dauid, nec Samsone fortior, nec Salo-  
 mone potes esse sapientior. Memento  
 semper quòd paradisi colonum de pos-  
 sessione sua mulier eiecerit. Sit sancta,  
 sit propinqua mulier, sit ætate prouecta,  
 sit magna necessitudine tibi coniuncta,  
 sit ipsa soror & mater; Euam semper cir-  
 cumfert , Euæ semper est filia , quæ te  
 molliore frangat ac perdat affectu. V-  
 num salutis perfugium in fuga positum  
 est , aut in altera quæ illi infelici subro-  
 gata est Euæ spiritalis vitæ parente Vir-  
 gine Maria in præsidium aduocanda;  
 cuius ea fuit formæ prærogatiua , vt in-  
 tuentes ad integritatis excitaret amoré.  
 Cuius (inquit Ambrosius) tanta erat gra-  
 tia , vt non solùm in se virginitatis gra-  
 tiam seruaret, sed etiam ijs quos viseret,  
 integritatis insigne conferret. Ergo eius  
 mente circumferenda species & imago,  
 aduersus ceterarum mulierum illece-  
 brosas formas , ne illæ vnquam nobis  
 imprimantur; aut si inciderint, mox ob-  
 literentur & eradantur. Aduersus earum  
 pesti-

pestifera blandimenta Virginis suauissima Dei Matris opponenda recordatio: si quæ mulier amanda, si quæ virgo castis amoribus prosequenda, hæc sit vna Virgo Deipara omnium dignissima, pulcherrima, modis omnibus amabilissima. Huius honoris causa ceteræ sexus eiusdem honorentur à nobis; si quæ mulier vterum ferens occurrat, puerperæ Dei matris recordationem ingerat; si filium lactans, gremio fouens, manu deducens, in ea Virginem Deum infantem puerumque summa cura nutrientem contemplare. Veniat in mēte quod aiebat S. Hilariō mulier quædam Eleutheropolitana: Noli mulierem adspicere, sed miseriam, hic sexus genuit Saluatorem. Summo etenim honore & sexus alter à Deo cohonestatus est, cum ex eo sibi delegit matrem, in qua, & ex qua sine viri consortio nasceretur. Quod viro datum non est, id feminæ datum vt Deiparens existeret, vti suos monebat sanctus Hugo Gratianopolitanus apud Surium. *17. Nouēbr.*

Huc pertinent quæ D. Hieronymus ad Præcipiam virginem disertè suis respon-

respon-

*Epist. extr.  
de exposit.  
Psal. 44.  
Gen. 18. 11.*

respondet obtrektoribus, cur interdū scriberet ad feminas, & fragiliore sexum maribus præferret, comparans eam cum laudatis illis veteris instrumenti feminis: cum Sara, cui subditur Abraham, cum ei muliebria defecerant: Tu nūquam habuisti muliebria, sexus decoratur à virgine, Christum portat in corpore, iam possidet quod futura est. Cum Rebecca, quæ duos generat dissidentes: tu vnum quotidie concipis, parturis, generas vniōne fœcundum, maiestate multiplicē, trinitate concordem. Quæ se Deo consecrauerunt virgines, vti Spiritus sancti templa, deitatis quædam sacraria, Saluatoris Christi Domini sponsæ, beatæ Matris filiæ honorariæque pedissequæ verecundis oculis intuendæ sunt. Tum verò virtus illarum, despicientia rerū terrenarum, magnanimitas, fortitudo, constantia, quâ viros hodieque non rarò superāt in studio perfectionis, æmulanda. Sæpè sexus mentitur: in virili muliebris, in muliebri virilis inest animus: sæpè masculum pectus circumferunt, quæ sunt reliquo corpore delicatissimæ. Pie-  
tas

tas certè & deuotio, quæ à Deipara in mulieres omnes manasse videtur, præcipuè celebranda est & imitanda. Nec dubitauit S. Carolus Borromæus in suo sepulchrali lapide litteris inscribere, quòd se deuoto femineo sexui commendaret. Verùm id omnino consultius sit, cum vita functis, & in empyreo cælo regnantibus virginibus, Agnete, Prisca, Barbara, Cæcilia, Afella, Aldegunde, quarum plurimæ & sæculum ætate vicerunt & tyrannum, & titulum castitatis martyrio consecrarunt, consuetudinem inire, quàm cum viuentibus adhuc infelicis Euæ infelicibus posteris; quæ quamuis prudentes & pudicæ, tamen illud blandum suæ matris venenum, & vultu & oculis & sermone & motibus corporis ingerunt atque instillant. *Qui ca-* Prov. II. 15.  
*uet laqueos, securus erit.*

C A.

## CAPVT XIX.

*De humilitatis studio.**Serm. 1. super  
per Missus.*

**A** Bernardi sententia ordiamur. Præ-  
clara permixtio virginitatis & hu-  
militatis, nec mediocriter placet Deo il-  
la anima, in qua & humilitas commen-  
dat virginitatem, & virginitas exornat  
humilitatem. Sed quanta illa veneratio-  
ne digna est (quæ vna Deiparæ singularis  
est prærogatiua) quæ nec parem, nec se-  
cundam habere potest, in qua & humili-  
tatem exaltrat fœcunditas, & partus con-  
secrat virginitatem? Si non pores virgi-  
nitatem, imitare humilitatem. laudabilis  
virtus virginitas, sed necessaria magis hu-  
militas. illa consulitur, ista præcipitur.  
Potest placere eius humilitas, quæ amissam  
deplorat virginitatem, sine humili-  
tate autem audeo dicere nec virginitas  
Mariæ placuisset. & aliàs: Virginitate  
placuit, sed humilitate concepit. Humi-  
litate potissimum ad æternum Verbum  
vtero concipiendum comparasse se Vir-  
ginem,

ginem, ex responso quod postremum Angelo dedit, colligunt SS. Patres: *Ecce ancilla Domini*; quodque mox ipsa diuini Verbi conceptio & incarnatio est consecuta. Vide, inquit Ambrosius, humilitatem, vide deuotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur; nec repentino exaltata est promisso, quæ pridem altissimas in humilitate sui que agnitione radices egerat. simul ancillam dicendo nullam sibi prærogatiuam tantæ gratiæ vindicauit, quæ faceret quod iuberetur; mitem enim humilemque paritura humilitatem debuit etiam ipsa præferre. Inde Virginem comparat S. Ambrosius fiscellæ illi scirpeæ bitumine & pice illitæ, in qua Moyses positus Saluatoris umbra. per bitumen quod ab aquis solui non potest, uirginitas B. Mariæ, in cuius utero Deus hominem, cui per unitatem personæ coniungeretur, efformauit, quæ uirginitas nullo potuit æstu carnali violari; per picem autem quæ custos est bituminis, humilitas intelligitur, quæ uirginitatis custos existit. Eodem refert Bernardus illud Cant. *Dum*

*Lib. 2. in  
Lucam.*

*In cap. 6.  
Apocal.*

*Serm. 45.  
in Cant.*

**S** *esset*

410 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
*esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit o-*  
*dorem suum.* Nardus humilis herba est  
& calidæ naturæ. Per hanc virtus hu-  
militatis accipitur, sed quæ sancti amo-  
ris vaporibus flagret; est enim humili-  
tas quam parit veritas, & est humilitas  
quam charitas format & inflammat.  
Priorem vocat Bernardus humilitatem  
necessitatis, ex inspectione peccatorum  
& spiritualium ærumnarum progenita,  
quæ non semper traducatur ad affectû,  
sed ex inspecta veritate necessario pro-  
gignatur: posteriorem verò voluntatis  
ex cordis affectione natam, ex desiderio  
sui contemptus & despectus. Quam-  
quam vt superbia omnis errore & igno-  
rantia, sic humilitas veritate & sui met  
agnitione nititur. Nec potest esse humi-  
litas quam non pariat veritas, sed non  
nuda, neque sola, cùm est innocentia &  
charitati copulata. quare hæc tanto al-  
tera præstantior est. Prior illa nostra est,  
& pœnitentium propria, quæ ex pecca-  
tis & vitiata naturæ perturbationibus  
ortum ducit, nec in Christum, nec in  
eius Sanctissimam matrem conuenit. At

po-

posterior innocentium est, qui nullo vnquam contaminati peccato fuere, nec habent deprauatos illos naturæ motus, quibus exagitentur & confundantur. Propria est sanctorum Angelorū, Dei- paræ Virginis, ipsiusque animæ Christi sanctissimæ, innixa illi primæ veritati, qua lubentes agnoscunt se quidquid habeant aut naturæ, aut gratiæ donorum, à Deo omnium largitore & fonte vberissimo, nullo suo merito, sed de eius largitate & beneficentia mera habere. Agnoscit Dei Mater, gratuita planè clementia electam se in Saluatoris matrē, cum indignam sese suæ naturæ conditione reputaret ancillam, omnibus se à Deo gratiæ donis, priuilegijs auctam gratuito munere: quare & illum omnium bonorum auctorem magnificabat eius anima Dominum, & exultabat spiritus eius in Deo salutari suo, nullumque momentum erat, quo non hoc sui nihilum coram Deo reputaret, animoque verè demisso & gratissimo secum expenderet. Hærebat illi altiùs mēti impressum istud Sapient. *Quoniam tamquam momentum* Sap. 11. 21

statera, sic est ante te orbis terrarum, & tam-  
 quam gutta roris antelucani quæ descendit in  
 terram. Illud item Isaia, Omnes gentes  
 quasi non sint sic sunt coram eo, & quasi nihil  
 & inane reputato sunt ei. Tum se sexu quo-  
 que feminam, conditione tenuem &  
 pauperem, fabro desponsam, ignotam,  
 nec magni habitam suos inter ciues ac  
 populares cogitabat, vt se delectã à Deo  
 quæ filij eius hominum Saluatoris ma-  
 ter existeret, haud iniuria miraretur ac  
 deprædicaret. *Quia respexit humilitatem  
 ancille sue, exiguam, vilem, abiectam for-  
 tem meam, quæ sum naturæ conditione  
 & mea voluntate eius ancilla, tantis im-  
 par & indigna beneficijs. Hic enim hu-  
 militas non virtutem, sed abiectioem  
 significat, vt & illo loco, Reformabit cor-  
 pus humilitatis nostra.* Humilitas virtus,  
 Græca voce ταπεινοφροσύνη, abiectio τει-  
 νωσις exprimitur. Magis exercuit quã  
 indicauit humilitatẽ. Verus humilis vi-  
 lis vult reputari, non humilis prædicari.  
 Eminent ea virtus inter Virginis heroi-  
 cas eminentissimasque virtutes. Et, si  
 B. Mechtildi fidem habemus, prima fuit  
 ea

Isa. 40. 17.

Luc. 1. 48.

Thib. 3. 21.

Lib. 1. re-  
ad.

ea virtus, in qua Virgo nata & infans singulariter se exercuit, qua ita de se modestè sentiebar, vt, cū tot esset ornata gratijs, tot priuilegijs insignita, nulli tamen vniquam creaturæ sese prætulerit. Tres sunt eximiæ Virginis prærogatiuæ, quibus potissimum excellit, quòd Mater Dei, quòd Virgo virginum, quòd Regina cæli & terræ: quæ nihil tamen singularis eius humilitatis laudem imminuerunt; sed velut in immensum augendæ materiæ amplissimam suppeditarunt, dum se in ijs mirificè deiecit Deipara ad humilem ancillæ conditionem quæ cum summa matris dignitate videbatur pugnare; ad communem vitatarum puerperarum ordinem in purificatione, à qua longissimè aberat eius integerrima virginitas; ad tenuem inopemque vitam, pauperumq; oblationem parturiturum aut duos pullos columbarū, quæ Reginae cælorum minimè videbatur congruere. Longū sit per omnia eius vitæ mysteria singula & expressa virtutis huius argumenta cōquirere. Vt prior Elisabetham propinquā adierit ac salutarit, & integro trimestri,

mestri, quoad esset soluta, aut proximè  
 soluenda partu, sedulò ministrarit; vt ad  
 virginum partu suu Bethleemitico sta-  
 bulo præsepio que pro cunis infantis Dei  
 sui, quo iam tū humilitatis utebatur ma-  
 gistro, maximopere delectata fuerit; vt  
 dies quadraginta permanserit in eo vili  
 stabulo, & demum hoc decurso dierum  
 spatio veluti communis mulier, ac vicia-  
 ta puerpera ad templum purificanda ve-  
 nerit; vt S. Ioseph sponso omnem sem-  
 per honorem, obedientiam, obseruan-  
 tiamque detulerit; quantos in ea demis-  
 sionis virtute profectus in ea domestica  
 schola, illam verbo & exemplo prædo-  
 cente Dei Filio, tot annorum consuetu-  
 dine fecerit. Hæc cæteraque demissionis  
 indicia colligere & pertractare longio-  
 ris sit moræ. Extremum vitæ tempus, ex-  
 tremumque illum quem censent humi-  
 litatis gradum, cum se contemni quis ac  
 despici patitur, adeoque etiam gaudet,  
 attigisse suffecerit. Quidquid igitur ini-  
 iuriarum ac contumeliarum in Salua-  
 torem, prædicationis eius triennio,  
 sed præcipuè extremo illo passionis suæ  
 die,

die, quidquid irrisionum, opprobriorum, & indignissimorum tormentorum in filium ab Iudæis, ab Herodis Regis, Pilatiq̄ Præsidis administris irrogatum est, in Virginem quoque Matrem recidit, & ad sese pertinere censuit, passa est, & gauisa pari voluntate, quae se parentem eius esse gauisa est. In matris inquam cessere cōtemptum omnia in Christum filiū iactata conuitia, probra, maledicta, blasphemiae execrandae, fœda illa sputa in diuinum eius coniecta vultū, impacti colaphi, alapæ, irrisiones nocturnæ ac diurnæ, à Iudæis atq; Gentilibus, nūc in Caiphæ domo, nunc in Pilati prætorio ipsa morte duriores sanæ, quòd Barabbæ latroni & homicidæ auctor vita postpositus est, quòd insanis effertæ plebis clamoribus ad necem, ad crucem efflagitatus, quòd toto corpore flagris instar mancipij dirissimè concisus, toties denudatus in amplissima hominum impurissimorum corona, quòd in speciem affectati regni mimicis regis insignibus à prætorica cohorte per dèridiculum illulus, quòd spineo diadema-

416 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
te coronatus , quòd suis ipse humeris  
crucem ad Caluariæ gestarit , quòd me-  
dius inter latrones vt eorum princeps,  
summa cum ignominia cruci est suffi-  
xus , ipsa que ad crucis pedem astante  
matre , vestes illius sortibus subiecta,  
quòd dirissimis ab insultantibus He-  
bræis calumnijs blasphemijsque appe-  
titus. Hæc non ad patientiam modò ve-  
rùm & ad Virginis humilitatem , quæ se  
cum filio Salvatore cõtemni porro gau-  
debat, ea que ignominia præcipuè nota-  
ri, pertinent , vt eadem quoque nos il-  
lius Sodales insignia filij sui studio in-  
centissimo appetamus , cum eo despici  
ac proculcari, stultiq; etiam haberi non  
refugiamus, vt & de filij ac matris in cæ-  
lesti aliquando regno familia ceseamur,  
gestatis hîc in terra eorum insignibus ac  
vestium notis. Si, cùm Christus mira-  
culis ac cælesti doctrina celebraretur, ta-  
men eius matrem ciues ac populares in-  
uidia perstringebant: *Vnde huic hæc om-  
nia? Nõne hic est faber, filius Mariæ? & scã-  
dalizabantur in eo; in extrema passione  
matripepercisse credibile non est; sed,  
cùm*

*Marc. 6.  
v. 3.*

cùm præfenti Saluatoris aspectu exemploque, quod vna omnium mortalium plenissimè capiebat, diuinitatis eius exinanitæ iugis admiratrix, ad eandem virtutem incenderetur humilitatis æmulandam, in hoc sui despectu mirificè exultabat & triumphabat. Si ad hunc nostri contemptum non aspiramus, si despicientiam, irrisiones, falsasque delationes, quas charitate formata expetit humilitas, minimè adhuc ambimus, in altera certè humilitatis quam parit veritas necessitasque, specie ac gradu consistamus; ac nos ex nobis nihil esse, nihilque à Deo, ab Angelis, ab hominibus, ex ipsa norma veritatis æstimandos reputemus. Intelligamus, ait Nazianz. nos nihil esse, si cum illa prima & vera sapientia conferamur, eamque ob rem ad ipsum vnum tendamus, nec quidquam aliud quæramus, quàm vt promanantibus illinc radiis collustremur. Si cum Deiparæ quoque Patronæ nostræ absolutissima virtute componamur, intelligamus nos nihil esse, & quod S. August. Deo, id illi nos dicamus: Reuerberasti infirmitatem

Orat. 17.

Lib. 7. Conf.  
c. 10.

S 5 aspe-

aspectus mei radians in me vehementer, contremui amore & horrore, & inueni longè me esse à te in regione dissimilitudinis. Si ceteris quoque rebus creatis comparemur, quantuli sumus, quàm exiles, minuti homunculi, propè nihil, umbra & fumus, puncto temporis euanescentes. Accedat denique peccatorum & miseriarum animæ corporisque inspectio. Si animam, inquit Bernardus, prout in se est, & ex se, iuxta rei veritatem, intueor, nihil de ea veriùs sentire possum, quàm ad nihilum esse reductam. Quid modò necesse est singulas eius miseras enumerare, quàm sit onerata peccatis, offusa tenebris, irrita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne procliuis, postremò totius confusionis & ignominie plena? Cetera qui volet, apud Bernard. cuius ad extremum illud quoque Deiparæ humilitatis eulogium prætermitti non debet, quo erat maior, humiliasse se præ omnibus. Cùm eam ab Christi in caelos ascen-

Serm. 5 in  
dedicat. Ec-  
clesie.

17. 1.

ascensu reuersam, & in cœnaculo nouissimum sibi locum delegisse retulisset: Meritò facta est nouissima prima, quæ cùm prima esset omnium, sese nouissimam faciebat; meritò facta est omnium domina, quæ sese omnium exhibebat ancillam; meritò supra Apostolos exaltata est, quæ infra viduas & pœnitentes sese abiiciebat. Ita qui se humiliat exaltabitur. Vt Luciferum de summo cœlo præcipitem egit in barathrum superbia, ita prouexit in summum cæli fastigium Virginem humilitas atque demissio; non fuisset euecta Virgo supra choros Angelorum, nisi se infra mortales omnes abiecisset. Quisquis ad eius humilitatem propiùs accesserit, ad eius quoque gloriam propiùs euehetur; proximus in humilitatis abiiectione, erit & in exaltatione gloriæ proximus ac coherens.

*Serm. sup.  
Mag.*

## CAPVT XX.

*De ardenti Christi Domini ac B. Matris amore, eiusque cultus promovendi Zelo.*

**Q**Vantum inter Christum Dominum, Sanctissimamque eius parentem mutui amoris exarserit incendium, quæ flamma diuinæ charitatis vtriusque pectus, filij erga matrem, matris erga filium incenderit, præter ipsos opinor neminem scire aut suspicione consequi posse. Solet amor ille triplex statui, naturalis, acquisitus, infusus: humanus vterque; prior, à natura insitus, ex eiusdem sanguinis communionem natus, & amicitia seu longa consuetudine confirmatus & auctus; posterior diuinus, æqua mensura respondens gratiæ, cui semper cohæret charitas, si non eadem res est charitas & gratia. ab hoc posteriore prior vterque perficiebatur & informabatur, & quas siue natura, siue amicitia, siue propinquitas, siue consuetudo & fa-

familiaritas ad amorem mutuum causas viresque suggererebat; ijs charitas infusa ad eum eliciendum maiore vi & contentione, altiori quodam ordine & modo diuino utebatur. Sed explicatio-  
 ris doctrinæ causa amorem eius, vti triplicè intueamur. In humanis maior esse non potest, quàm hic amor mutuus matris & filij, pro summa illa propinquitate & necessitudine. cuius amoris seu affectus in ipsis quoque brutis animantibus non obscura elucent argumenta, cùm ad tuendos fœtus ipsæ matres certissimæ sese morti obijciunt. qua similitudine utitur sacra Scriptura. *Occurram quasi vrsa raptis catulis; & aliàs, Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Sicut mater vnicum amat filium, ita ego te diligebam,* Dauid de Ionatha. Disputat quidem Philosophus: magisne filius parentem, à quo ducit originem, an parens filium, vti partem suam de se præcisam diligat? & in hanc partem propèdet. Id certè constat, quod ex eodem Philosopho docet S. Thomas, matres magis esse amantes filiorum quàm

*Osee 13. 8.**Isai. 49.**15.**2. Reg. 1.**v 26.**8. Ethic. c.**12.**S. Thom. q.**26. a. 9.*

patres, eò quòd matrum laboriosior sit generatio, & magis sciunt, qui eorum sint filij quàm patres. Adde & à sexu molliore teneriorem ardentioemque mulierum esse amorem quàm virorum, & inter mulieres virginum, quæ sunt & corporibus & animis integræ & illibata. Denique si vnicus sit filius, impensius amatur quàm si in plures liberos amor iste partiendus sit. Quis igitur Deiparæ erga filium naturalis amor extiterit, cuius erat sola mater sine terreno patre, quæ vnicum & Spiritu sancto conceptum, salua integritate conceperat? qui inter patrem & matrem diuisus est amor, in eius corde collectus erat erga illum, quem suum verum esse sciebat filium, eundemque Deum conditorem & redemptorem. Sed neque filius in amore rependendo matri concedebat, qui gratissimus erat, & plus in amando poterat. itaque si vera est Philosophi sententia in alijs liberis, in Salvatore vera non fuit, qui & matris & patris vice matrem suam vnicam vnicè diligebat, à qua summè se diligi, & cum summa cura, sollicitudine,

ne,

ne, prouidentia & pietate materna educari conspiciebat. Amor amicitiae similitudine morum quæ ex consimili temperatura ferè gignitur, consensione voluntatum & studiorum, quotidiana consuetudine, mutuis officijs atque obsequijs stabilitur & augetur in immensum, si nullæ vnquam incidant dissensionum causæ, nihil in alterutro quod offendat, omnia quæ amorem conseruent atque incendiant, cùm alter alterius amorem animumque propensissimum planè habet exploratum. Vocat Aristoteles amicitiam redamationem non latentem, & inter propinquos & sanguine iunctos reperiri posse confirmat. Quis igitur & quàm arctus hic quoque mutuae benevolentiae & amicitiae nexus inter hunc filium matremque intercessit? cùm summa esset inter eos naturatum sympathia, eadem temperatura, summa morum similitudo, eadem studiorum omnium & propensionum consensio, vna eademque voluntas numquã discordans, summa rebus in omnibus concordia, nulla ne leuissima quidem vnquam of-  
fen-

fensionis umbra, cum omnes ad hunc inflāmandum amorem causæ concurrerēt. Ut nullus unquam fuit Salvatore filius amabilior, obsequentior, formosior, prudentior, sapientior, generosior, potētior, diuinior, nec esse potuit; ita B. Matri nulla fuit unquam par, nulla similis, nulla filij æquè amore digna ob eius incōparabilem formam, modestiam, grauitatem, sapientiam, obseruantiam, pietatem, qua filium prosequēbatur, eius perpetua, ut loquitur Epiphanius, affectatrix: quæ, cū prædicationem Euangelicam inchoasset, unā cum illo è Nazareth Capharnaum domicilium transtulit, ut ab eius sermonibus abesset nunquam. Mutua verò officia atque obsequia breui compendio recenseri nequeunt, quamquam Saluatoris in matrem beneficia & plura sunt & maiora, superioris cuiusdam diuini gradus & ordinis: tamen & obsequia matris habebat acceptissima, nec ingratus aduersus eam esse unquam potuit aut voluit. Tertius diuinæ charitatis amor infusus longè omnem nostram cogitationem exsuperat, pro immensitate  
di.

diuinæ gratiæ in Christo & B. Matre, qui  
 vt natura, sic & gratia fuere coniunctif-  
 simi, omnibusque vinculis inter se arctif-  
 simè colligati. Ad filij gratiam nulla pro-  
 ximior matre accessit, quæ ei vti capiti  
 collum iungebatur: amabat filium vt  
 eundem Deum suum, conditorem, re-  
 demptorem, summum benefactorem,  
 patrem, sponsum animæ suæ, cui suspira-  
 bat: *Adhæsit anima mea post te; & , Dilectus* Psal. 62. 9.  
*meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. 16. Amabat matrem  
 Saluator, vt carne quidem & humanita-  
 te matrem, idque se filium hominis ap-  
 pellans innuebat, sed gratia & adoptio-  
 ne filiam, spōsamque amantissimam, præ  
 creaturis omnibus charissimam, à qua  
 se sciret præ omnibus ardentissimè dili-  
 gi, quam omnibus gratiæ suæ cumulasset  
 ornamentis, ab omni culpa etiam origi-  
 naria præseruatam, sibi in omnibus om-  
 nino vitæ partibus, animique motibus  
 acceptissimam, iustorum omnium &  
 electorū matrem, Reginam, dominam-  
 que suæ redemptionis merito constitu-  
 tā. Quæ cum singularia filij dona bene-  
 ficiaque reputaret apud se gratissima men-  
 te

te Virgo, Mater, quibus aduersus illum amoris flammis incēdebat? Quid mirum, ait Bernard. si Maria præ omnibus diligit, quæ præ omnibus est dilecta? D. August. ex persona sua & Dei seruorum aiebat: Sagittaueras tu Domine cor nostrum charitate tua. Quid de Dei matre Salvatoreque filio sentiēdum, quorum incidentes oculi cor sibi mutua saucia-  
 bant charitate? Si Saluator matri verè aiebat: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*, quanto id veriùs mater filio? cuius oculus deitatis index, intimum matris pectus penetrabat. Sagitta electa est amor Christi: quæ matris animam non modò confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam amor vacuam relinqueret; sed toto corde, tota anima, ac tota virtute diligeret. Quod negant Theologi hac in vita præceptum hoc adimpleri posse, adimpleuit plenissimè S. Mater: nec illo tantùm appretiatiuo, sed & intensiuo filium Deum supra res omnes amore dilexit. Sed prosequamur ex Bernardo. Aut certè pertransiuit eam, vt veniret vsque ad nos,

*Cant. 4. 9.  
 Verba sunt  
 Bernard.  
 serm. 29. in  
 Cant.*

nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus, & fieret mater charitatis, cuius pater est charitas Deum parturiens, &c. Et illa quidem in tota se grande vulnus amoris accepit. ego itaque me felicem putauerim, si summa saltem quasi cuspi- de huius gladij pungi interdum me sen- fero, vt vel modico accepto amoris vul- nere dicat ei anima mea, Vulnerata cha- ritate ego sum. O vtinam & matris & fi- lij charitate saucietur anima mea! vtinam ex illo eorum mutui amoris incendio scintillula in cor meum defiliat, quo suc- censum eius vtriusque cultus & honoris promouendi zelo ardeat! Quam vnā licet animi grati significationem dare in vtriusque laudibus celebrandis non in- termittam. Quæ fuerūt illis mutuæ cha- ritatis causæ, eadem nos ad hunc vtrum- que salutis nostræ parentem ardentiore prosequendum amore permouere de- bent; & ob filium Deum Saluatorem præcipuè diligēda mater, quam ille no- stram quoque Matrem esse voluit, & matris quoque causa Saluator filius dili- gendus. Sed quod illis bonum exoptare  
aut

aut procurare nostra potest beneuolentia, præter illud vnum externi cultus, quo nihil tamen ipsi egent, sed in nostrum redundat spirituale lucrum atque emolumentum? Vt hoc eodem illorum vitæ nostræ parentum amore quamplurimi corripiantur, exoptandum est, vt Dominum Dominamq; nostram nobiscum magnificent, & exaltent sacra illorum nomina in idipsum, & in æternum. Benedictum sit & clarificetur Sãctissimum nomen Iesu & Sanctissimæ Virginis Mariæ matris eius, & nunc & semper. Amen.

## C A P V T XXI.

*De operibus misericordie spiritualis & corporalis exercendis.*

**C**haritatis germana proles misericordia est, à qua sibi quoque nomẽ desumpsit Patrona nostra, vt misericordie mater diceretur & esset: non modò, quia magnam illam nobis misericordiam peperit, incarnatũ Deum; verũ, quòd  
&

& ipsa miserorum maxima semper commiseratione commota, numquam à misericordiæ & beneficentiæ quibus eis succurreret operibus vacarit, & hæc illi gratissima accidant, quãdo à suis clientibus honoris eius causa exercentur. Fuit Iob, vt patientiæ, sic misericordiæ præclarũ exemplar. Ait ille de se: *Oculus fui cæcus, & pes claudus, pater eram pauperum. Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci, si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea; quia ab infantia mea mecum creuit miseratio, & ex utero matris meæ egressa est mecum. Foris non inueni peregrinus, ostium meum viatori patuit.*

Iob 29 15.

Iob 31 16.

v. 18.

v. 32.

Tales optat cultores suos Deipara, ac singulari ipsis præiuit exemplo, siue eius affectum commiserationis beneficentiamque spectes erga pauperes & ærumnos, quibus in prima adhuc ætate, in templo versans, & in omni deinceps vita quoad potuit, liberalissimè subuenit, vti monet Ambros. non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponēs; siue contempleris eandem commiserationem ac beneficentiam aduersus  
Chri-

Christum filiū suum Deum, sua voluntate pupillum, egenum, peregrinum, nudum, algentem, esurientem, sitientem, quem omni materna pietate rexit, fouit, nutriuit, atque ad virilem perduxit ætatem, qua nostræ redemptionis expleret opus à cælesti Patre demandatum; siue aduersus primitiuos fideles in sua viduitate, cū à Christo illis derelicta Mater esset Apostolorum magistra, Martyrum adiutrix & exhortatrix, tenuiorum eius æui fidelium perfugium atque solatium; siue denique attendas, quam & modò regnans in cælis aduersus nos. ærumnolos mortales in hac valle lachrymarum maternam eius opem inelamantes, profusissimam exercet omni beneficiorum genere misericordiam, cui meritò illud Ruth eulogium accinamus, animo gratissimo: *Benedicta filia, quia priorem misericordiam posteriore superasti.* Maior est enim in cælo regnantis misericordia, quam esset adhuc versantis ac peregrinantis in terra; longè se latius effudit, vniuersum orbem complexa Christianum; excreuit ad cælum euectæ potentia, creuit & mi-

Ruth 3. 10.

seri-

misericordia. *Quasi oliua speciosa in cam-* Ecclesi. 24.  
v. 19.  
 pis, omnibus exposita clementiæ suæ &  
 beneficiæ diffundit oleum. Non ha-  
 bet in vasis oleum, vt cæteræ prudentes  
 virgines, sed tota est oliua fructifera, de  
 qua nos oleum mutuemur. Sileat mise-  
 ricordiam tuam Virgo Beata, quite in Bernard.  
 suis necessitatibus inuocatam memine-  
 rit defuisse. Verùm vt amor amore con-  
 ciliatur, ita misericordia Dei Matris no-  
 stræ in egentes & calamitosos proximos  
 misericordiâ est prouocanda. Et impen- Ecclesi. 35.  
v. 26.  
 denti & recipienti, *speciosa misericordia*  
*Dei in tempore tribulationis, quasi nubes plu-*  
*uiæ in tempore siccitatis; vtrique proficua,*  
 & nescio an non magis ei qui illam exer-  
 cet, quàm cui præstatur, & in quo exer-  
 cetur. Verè misericordia Dei à Deo pro-  
 fecta, eius suasu & impulsu suscepta, &  
 ab eo copiosissimè remuneranda. Valet  
 in hac æquè ac in futura illud eiusdem,  
*Omnis autem misericordia faciet locum vni-* Ecclesi. 16.  
v. 15.  
*cuique secundum meritum operum suorum.*  
 Salutis præsidium Chrysostr. dicitur, or-  
 namentum fidei, propitiatio pecca-  
 torum, quæ iustos probat, sanctos ro-  
 borat,

432 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
borat, Dei cultores ostentat, in qua om-  
nis summa disciplinæ Christianæ. Vt au-  
tem animus præstat corpori, ita miseri-  
cordiæ spiritalis opera corporalibus an-  
tecellunt, & corporalis proximi miseria  
subleuata cum spiritali eiusdem animi  
salute componenda non est; illa enim  
ad exigui temporis vsuram, hæc ad bea-  
tæ fructum æternitatis refertur. Verùm  
vt animus corpori copulatur, ita sunt  
vtriusque misericordiæ opera facienda.  
Quo maior est indigentia proximi, quo-  
que ille dignior est ea releuari, quo ma-  
iore confertur affectu subsidium, quo-  
que magis illud de nostro detrahitur, ac  
quasi de viuo rescatur; eo præclariore est  
& maioris meriti misericordia. cuius ge-  
neris fuit ea qua S. Virgo erga Deum fi-  
lium Saluatorem est vna, cum illi re-  
ctum, cibum, vestem, cætera vitæ subsi-  
dia propensissima charitate derulit; cum  
de suis inierit cruoribus intemeratis hu-  
manitatis intimã vestem eius deitati cir-  
cumposuit, cum alteram suis ipsa conte-  
xuit manibus inconsutilem tunicam, cæ-  
terasque vestes curauit, cum infantem  
vbe-

vberē de cælo pleno pavit amantissimè,  
 puerum ac grandiusculum pane suo la-  
 bore parto, alijsque deinde obsoniis,  
 prout eius ferebat tenuitas, sed summa  
 enutriuit pietate, atque ad maturam per-  
 duxit ætatem. Hac eadem charitate ad-  
 uersus primitiuos fideles, vniuersis erat  
 subsidio, mœrentibus & ægris solatio,  
 dubijs animi consilio, ignorantibus ma-  
 gisterio, omnibusque exemplo vitæ per-  
 fectissimæ prælucebat: ac cùm iam illi  
 foret ad filium in alteram vitã demigran-  
 dum, quibus per totam vitam vsa fuerat,  
 vestes duas à Ioanne duabus quæ eam  
 frequentabant egentibus virginibus e-  
 rogari voluit, vt pauper ipsa, hac etiam  
 misericordiæ insuper aucta palma ad fi-  
 lium emigraret. Id igitur erit illi gratissi-  
 mum Parthenij Sodalis officium, si ad  
 eius imitationem, eius honoris causa,  
 hæc misericordiæ duplicis opera frequẽ-  
 ter vsurpet, si in Virginis nomine peten-  
 ti præsertim & per eam obsecranti sti-  
 pem liberaliter eroget, id Ambrosij ver-  
 sans animo, Vilis pecunia, sed pretiosa  
 misericordia; aut, si pecunia caret, pecu-

T

niæ

niæ præferendam omni salutationem Angelicam in eius locum pronuntiet, illud August. memorans, Pauperis est orare, diuitis erogare. Si, quando per studiorum ferias licet, adeat nosocomium, ægrotis inseruiat, carcere detentos visitet, pauperum funus cohonestet, ad eorumque adiuuet sepulturâ; sed maxime si doceat ignorantes fidei rudimenta, incertis animi salutaria suggerat consilia, prolapsos in peccata reducat in viam, & ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentanda inducat Sacramenta, pijs colloquijs ad ineundam Sodalitatem excitet, aut ipsos Sodales suos ad virtutis studiû, ad Dei Matris amplificandum cultum extimulet; si nullum, quoad eius pars virilis feret, cum diuina gratia benignitatis prætermittat officium, in paupere Christum intuens, illius certissimi pronuntiati memor, quod in extremo iterabit iudicio:

*Quodcumque vni ex his minimis meis fecistis, mibi fecistis. Qui parçè seminat, parçè & metet; qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Non ex tristitia & necessitate: bilarem enim datorem diligit*

2. Cor. 9. 6.  
& 7.

*ligit Deus. Quomodo potueris, ita esto misericors.*

## CAPVT XXII.

*De perseverantia per Beatam Matrem efflagitanda.*

**R**eliqua est vna perseverantia Parthenio Sodali præstanda, vel à Deo per Virginem Matrem postulanda, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus, sine qua nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo, neque qui pugnat victoriam, neque palmam victor consequitur: quæ vigor est virium, virtutum consummatio, & nutritrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanitatis. quæ laudes ei deferuntur à Bernardo. Parum est nos rectam

*Epist. 129.*

*ad Iannens.*

virtutum ingressos viam, nisi tandem eius viæ terminum, beatam vitam attigerimus: parum est è carceribus soluisse feliciter, & multum spatij emensos esse, si in medio cursu defecerimus animis, aut,

T 2

cùm

cum iam meta foret in prospectu, tamen  
 1. Cor. 9. 24 è stadio prius exceſſerimus. *Sic currite,*  
 inquit Apostolus, *vt comprehēdatis.* Quid  
 proderit Christum sequi, nisi & assequa-  
 ris? in stadio currere, in palæstra certare,  
 nisi brauiū victor reportes? Quam mul-  
 ti in ipso propè limine corruūt, aut gra-  
 dum referūt animis debilitati & deiecti!  
 Alij medio in cursu subsistunt voluptate  
 deliniti, aut animi inconstantia superati:  
 alij cum propè metam aspicerēt, ac bra-  
 uiū certa spe tenerent, tamen miserimè  
 dæmonis fraude de stadio deiecti perie-  
 runt. Non quæruntur in Christianis ini-  
 tia, sed finis: Paulus malè cœpit, sed benè  
 finiuit: Iudæ laudantur exordia, sed finis  
 proditione damnatur. Felix & omni lau-  
 de dignus beatitudine, ait idem S. Hie-  
 ron. quem senectus occupat Christo ser-  
 uientem, quem extrema dies Saluatori  
 inuenerit militantem, qui cum Apосто-  
 lo gloriari potest in Domino: Ego enim iā  
 2. Timoth. 4. v. 7. & 8. delibor. Bonum certamen certavi, cursum con-  
 summaui, fidem seruauī, in reliquo reposita est  
 mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Do-  
 minus iustus iudex. Qui perseuerauerit vsque

Matth. 10.  
v. 22.

*in finem, hic saluus erit.* Verum enim uero duplex à Theologis perseuerantia statuitur: vna præstanda à nobis; altera postulanda magis quàm præstanda, gratuitum summumque donum diuinæ prædestinationis atque electionis, postremum veluti signaculum. Prior est virtus, qua mens hominis confirmatur in prosequendo quod cœptum est honesto opere ac studio aduersus irruentes tristitias, aliàs uè difficultates, vt eam ex Tullio definit S. August. In ratione bene considerata stabilis & perpetua permansio, pertinens ad fortitudinem, ne frangatur aut defatigetur animus in cœpto opere virtutis. Posterior est diuinæ gratiæ & amicitia ad vsque finem continuatio absque grauiore quod intercurrat peccato, quod eam dissoluat amicitiam. nititurque ea perseuerantia singularis diuinæ gratiæ protegentis & dirigentis in omni vitæ cursu subsidijs, quæ benigna Mater suis sedulo clientibus procuratura creditur, & uti procuret oratur. Prior illa virtus perseuerantiæ, vt ceteræ morales, tum acquisita est hominis ratione vtentis, tum in-

fusa Christiani, & ad posteriorem non mediocriter confert. Viriusque verò certissima spes est in continua precatione, qua diuinæ gratiæ subsidium imploratur atque obtinetur, in summa sui ipsius diffidentia, in Dei autem ope minimè defutura confidentia. *Ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam, dicensq; tibi: Ne timeas, ego adiuui te. noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus: & redemptor tuus sanctus Israel.* Hunc si nobis propitiū reddat, in diesque magis conciliet clementissima Mater, quid inanibus terreculentis, quæ dæmon obiicit, magnopere commoueamur? si præsidio nobis est Regina cæli, plures sunt pro nobis quàm cōtra nos. De diuturnitate pœnitentiæ & prolixitate vitæ quàm inanis est cogitatio, cū nemo sibi crastinum polliceri queat! cætera autem blandimenta quæ mūdus offert, vt nos à recto virtutis auerget tramite, si penitiūs introspiciantur quàm puerilia sunt, ludicra, incerta, falsa! Verè dicebat Epictetus, homines perturbari non tã rebus quàm opinionibus, quas

Isa. 41. 13.  
14.

Enchirid.  
c. 10.

quas de rebus habent. Nullæ sanè res  
 creatæ de statu mētis ac virtutis hominē  
 Christianū dimouere debent, præsertim  
 si ad æternitatis trutinam expēdantur, si  
 viua fide & ex vltimo fine salutis excuti-  
 antur. *Quid prodest homini si mundū vniuer-*  
*sum lucretur, & animæ suæ detrimentū patia-*  
*tur. Et quis est qui vobis noceat, si boni emula-*  
*tores fueritis? Aemulamini autem charismata*  
*meliora, non caduca terrenaq; bona, quæ*  
*mox aut nos deserunt, aut deseruntur à*  
*nobis, quæ cum tempore præterfluunt,*  
*& vix vt orta sunt intercidunt; sed cæle-*  
*stia, sempiterna, diuina, quæ vita functos*  
*comitentur, quæ animā à funere perse-*  
*quantur. In disciplina perseuerate: tamquam*  
*filii vobis se offert Deus, & B. Mater, quæ*  
*mihî videtur Apostoli monitū illud suis*  
*inculcare Sodalibus: Itaque fratres & filij*  
*mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abū-*  
*dantes in omni opere bono, scientes quòd labor*  
*vester non est inanis in Domino. Qui timent*  
*Dominum, inquirent quæ placita sunt ei, præ-*  
*parabunt corda sua, & in conspectu illius san-*  
*ctificabunt animas suas. Hoc in salutis suæ*  
*studio versantibus Deique matris opem*

Matth. 16.

26.

1. Pet. 3. 13.

1. Cor. 12.

31.

Hebr. 12. 7.

1. Cor. 15.

58.

Eccl. 2. 19.

20.

efflagitantibus minimè deerit summum illud perseverantiæ donum. Actamer si illud de condigno promereri non possumus, de cōgruo certè possumus & debemus, per Virginis Dei matris opem atq; præsidium. Ad illud postulandū extrema pertinet Dominicæ orationis precatio, *Et ne nos inducas in tentationem*, & extrema quoque pars salutationis Angelicæ, *Nūc & in hora mortis nostræ*. Illa enim hora cōfertur id donum, clausula & absolutio cæterorum Dei donorum, extremum vitæ mortalis, at primum alterius immortalis beneficium. Bona mors in gratia obita est finalis perseverantia. Videte, inquit aduersus Pelag. B. August. à veritate quàm sit alienum negare donū Dei esse perseverantiam vsque in finem huius vitæ, cū vitæ huius quando ipse voluerit det finem. Extrema petitione Dominicæ orationis id donū peti multis probat. Ideo petimus ne inferamur in tentationem, vt hoc non fiat, vt non voluntate nostra deseramus Deum, & meritò ab eo deseramur. Etsi exaudimur, vtique nō fit, quia Deus non permittit vt fiat;

*Matth. 6.*  
13.

*De bona*  
*perseuer.*  
*c. 6. & 11.*

fiat; nihil enim fit nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas conuertere, & dirigere in sibi placitum gressum. Tutiores viuimus, si totum Deo damus; quod ex Cypr. probat. Tutiores in Dei & B. Matris manibus quàm in nostris nobis derelicti. Hoc salubriter est desperare, spem suam non in seipso, sed in Deo & B. Matre collocare. Ac specialiter à Virgine Dei Matre, post actas gratias quòd in suum illa nos obsequium admiserit, Sodalitatiq; huic suæ adscripserit, id extremæ perseueratiæ donum, ac fortunatissimæ in diuina gratia eiusq; obsequio mortis genus omni die contentiosius efflagitandum est. Ad eius opem omni die confugiendum aduersus omnes malignæ tentationis insultus, ne vel desperatio, vel præsumptio, vel alia fraus atque impulsio capitalis hostis nostri nos è filij eius & Saluatoris gratia præcipites agat. Si criminum immanitate turbatus, conscientia fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias

ab-

*Bernard.  
hom. 2. sicut  
per. Misus.*

absorberit tristitiæ, desperationis abyſſo;  
 cogita Mariam, Mariam inuoca: hæc te  
 clarissima Cynosura in portum salutis  
 deducet, & tutum aduersus omnes pro-  
 cellas tempestatesque reddet. Ad eandẽ  
 S. August. aut Fulgent. ita precatur: Sit  
 per te excusabile quod per te ingeri-  
 mus, fiat impetrabile quod fida men-  
 te poscimus. Accipe quod offerimus,  
 redona quod rogamus, excusa quod  
 timemus: tu enim spes es vnica pecca-  
 torum, per te speramus veniam delicto-  
 rum, & in te Beatissima nostrorum  
 est expectatio præmiorum. Quæ S.  
 Augustino familiarissima fuit, ea nobis  
 quotidiana sit precatio: Da quod iubes,  
 & iube quod vis: continentiam iubes,  
 perseuerantiam iubes; da quod iubes, &  
 iube quod vis. His igitur ducibus atque  
 auctoribus August. Fulgentio, Bernardo,  
 ad te cõfugimus, ô misericordiæ mater:  
 ne sempiterna nos filij tui gloriæ celestis  
 hereditate, quã ille nobis passione sua ac  
 morte peperit, excidere patiaris: ne à tua  
 tuorũ tuo cultui atque honori ditorũ  
 Sodalium hîc in terris omni studio sem-  
 per

*Serm. 18.  
 de Sanctis.*


*70. Conf.  
 29. 35.*


per obseruata societate ac cōsuetudine,  
 cū erit in cēlis beatissima tuo cōspectu,  
 omniq; præmiorum genere cumulatis-  
 sima, sempiternū se iungi, atq; in orcum  
 cū reprobis tibi infensis atq; exosis hosti-  
 bus ablegari detrudiq; permittas: frua-  
 mur æternæ eius Sodalitatis bono, in quā  
 hīc in terris tuo beneficio venimus, quā  
 omni pietatis officio colere instituimus.  
 Perseueremus in ea Sodalitate tua diui-  
 naq; filij tui gratia, non eā nobis grauior  
 vlla culpa detrahat, non conuiuium, nō  
 mulier, nō sermo vllus improbus eripiat;  
 non animū nobis frangat aduersa fortu-  
 na, non prospera deliniat, quo minū in  
 cœpto virtutis itinere gradum quotidie  
 faciamus. quōd si quis grauior casus in-  
 ciderit, non vsque adeo prouamus in-  
 feliciter, quin mox tua resurgamus o-  
 pe, itaq; decurramus huius vitæ cur-  
 riculum, vt ad beatam abs te felicitatis  
 sempiternæ metam perducamur, vt in  
 cælesti regno tua tuique filij Saluatoris  
 sacra vestigia letantes, gratias agentes, ac  
 gratulantes complectamur. Amen.

*Collegij Sac. Iesu Paderb.*


FINIS.


*A<sup>o</sup> 1624.*














Th  
2850